5/2 - 107

M. PORCII CATONIS

ORIGINVM

LIBRI SEPTEM.

RELIQVIAS DISPOSVIT ET DE INSTITVTO OPERIS DISPVTAVIT

DR. ALBERTVS BORMANN.

BRANDENBVRGII.
PROSTAT APVD ADOLPHVM MVELLER.
MDCCCLVIII.

1866, June 1
[illegible] Fund.

56 cts.

I.

1. Paranti mihi res gestas scribere nominis Latini quum Origines Catonianae essent adeundae quasi caput, ex quo fere omnia, quae traduntur de antiquitate Latina, manasse videntur, non ignorabam, non ad largum me fontem, sed ad locum prope exsiccatum deferri. Quod quo tempore factum sit, ut praeclarum illud et diligentiae et doctrinae documentum interiret, tot servatis libellis, quos deletos vix esset qui desideraret, pro certo quidem affirmari non potest. Isidorus (frg. 27) ultimus est, qui ipsas Origines in manibus habuisse videtur, nam quod fragmentum est apud Petrum Crescentium (frg. 13), non ex ipso fonte, sed ex Varronis re rustica II, 3, 3, item quod est apud Alcuinum (frg. 69) ex Prisciano V, 8, 45 derivatum est. Ac ne Ioannes Lydus quidem, qui ex superioribus proxime accedit ad aetatem Isidori, satis accuratam Originum notitiam habuisse, sed auctoritate Catonis temere abusus esse videtur (frg. 28 et 29), quod sane eo magis est mirum, quod Priscianum, qui ei aetati fere erat suppar, Origines Catonianas studiose lectitasse multis fragmentis manifesto comprobatur.

2. Verum utut res haec sese habet, tanta quum in reliquis historicis Romanis, tum in Catonis Originibus facta est iactura, ut simul cum literarum studio etiam Catonis quasi renasceretur desiderium. Quod quantum fuerit haud scio an nulla alia re magis comprobetur, quam aviditate, qua appetebant Originum fragmenta, quae edidit Annius Viterbiensis Romae 1498*), non solum homines mediocriter docti, verum etiam Sigonii Sylburgique. Frustra alii ipsum Annium esse hominem mendacem atque fallacem clamitabant, frustra alii eas quidem reliquias nullo modo esse posse Catonianas contendebant, errorem deponere noluerunt plerique. Attamen non Sanchuniathonem aut Uranium obtulerat Annius, sed ineptam farraginem, in qua nec consilium operis, quod ex-

*) Iterum eodem anno Venetiis; 1512 et 1515 Parisiis; 1545 et 1552 Antverpiae; 1558 et 1588 ab Onuph. Panvinio (de imp. Rom.) Venet. et Paris; 1591 Lugduni a Dionys. Gothofredo in antiqua historia ex XXVII auctoribus contexta; 1612 Vitebergae.

plicaverat Cornelius Nepos in vita Catonis jam pridem eo tempore edita, servatum est, nec reliquiae insertae, quas vel pueri suppeditare poterant; quas autem attulit, (frg. 8. 15. 52. 56), in iis tam negligenter egit, ut memoriter eas retulisse videatur. Reliqua non modo aliena sunt a Catonianis, sed etiam magnam partem veris reliquiis repugnant. 3. Ac ne inique judicasse videar de asseclis doctrinae illius Annianae, ne tum quidem deerant aut resipiscebant, quum Antonius Riccobonus primus reliquias et aliorum historicorum et M. Catonis ediderat*) praemissa dissertatione de historia. Ei ***accidit consilium non modo aliquot historicorum reliquias colligere, verum etiam pro viribus in ordinem redigere et aliquibus scholiis illustrare.*** In colligendis reliquiis laudabili usus est diligentia, quamquam neglexit scriptores Graecos et ipsum Ciceronem nonnullosque alios locos; sed in digerendis quid secutus sit, non satis apparet. 4. Deinde eidem rei operam dedit Ausonius Popma**) — nam Antonius Augustinus in fragmentis historicorum (ed. Fulv. Ursinus Antverp. 1595.) Catoniana omisit, — quem recte Js. Pontanus fragmenta ***multis et novis accessionibus locupletata*** edidisse scribit; adhibuit enim Graecos scriptores et Ciceronem addiditque quae ex aliis scriptoribus omiserat Riccobonus. Ita factum est, ut nullum fere spicilegium relinqueret posteris, nisi ex scriptoribus eo tempore nondum repertis, veluti frg. 1; et si qui postea numerum fragmentorum augere studebant, locos attulerunt, qui subtilius dijudicantibus plerumque resecandi sunt, quin etiam ne pro Catonianis quidem habendi. In disponendo autem ita versatus est, ut ea, quae certis Originum libris a veteribus scriptoribus assignantur et a reliquis Originum fragmentis et ab iis, quae solo Catonis nomine feruntur, accurate vel potius nimis accurate secerneret et ex serie rerum Romanarum collocaret, id quod jam antea fecerat Riccobonus. Multis ille quidem locis ab ordine Riccoboniano recessit, sed hanc varietatem pluribus verbis explicare nec opus est nec fieri potest, quod neuter recte res disposuit aut rationem, quam in singulis fragmentis interpretandis secutus est, explicavit. 5. Popmam deinde secuti sunt, qui postea historicorum frgg. collegerunt, vel potius transscripserunt, quae proposuerat Popma, eodem servato ordine; ex quo tempore adjuncta sunt Sallustio Elzeviriano Lugduni 1634 increbruit consuetudo reliquiarum historicorum cum Sallustio edendarum.***) Sed ex his studiis ad cognitionem Originum Catonianarum nihil utilitatis redundavit, et si quis de historicorum Romanorum reliquiis bene se meritum esse recte gloriatur, ex aliis historicis gloria illa quaesita est, non ex Catone.

---

*) Venet. 1568. iterat. Basil. 1579 et cum Livio Francof. 1628.

**) Fragm. Hist. Vett. Latin. ab Auson. Popma Frisio collecta, emendata et Scholiis illustrata. Amstelod. 1620. Catoniana fragm. etiam Catonis libro de re rustica eodem anno Franekerae edito adjecit.

***) Edd. Janssonianae ex rec. Rutgeri Hermannidae Amstelod, 1661. 1667. 1684, Samueli Grosser Dresd. 1697, Josephi Wasse Cantabrig. 1710, Cajetani Vulpii Patav. 1722, G. Cortii Lips. 1724 et iterum Venet. 1737, Sigberti Havercamp. Ultraj. 1742, Petri Miller Berol. 1751, extremi denique in eo agmine Caroli Frotscher Lips. 1825.

6. Sed uno et altero loco addito quum nihil proficeretur, viam ac rationem, qua res, quoad ejus fieri posset, ad liquidum perduceretur, monstravit Gregorius Majans, qui in commentariis, quos scripsit ad XXX Ictorum fragmenta Genevae 1764) Tom. I, p. 57—63 obiter significavit, quomodo Originum reliquiae disponendae viderentur. Dubitabat enim, utrum fragmenta, quae ad jus spectant, Catoni patri, an filio attribueret, et ne quid deesset, omnes Catonis reliquias composuit. De Originum ille quidem fragmentis saepe sane erravit, sed recte perspexit, de toto opere judicari non posse nisi digesta rudi illa incertorum fragmentorum mole, quae tum quidem certorum fragmentorum agmen claudebat. 7. Attamen facem, quam praetulit, non secuti sunt, qui deinceps eandem rem tractabant, Albertus Lion*) et Hugo van Bolhuis**), qui eodem tempore, i. e. sub finem anni 1826 fragmenta Catoniana ediderunt, quorum alter incredibili negligentia reliquias, quas ediderat Popma iteravit, practerquam quod fr. 113 deteriorum librorum auctoritatem secutus ex libro septimo temere transtulit in tertium saepiusque locos recte a Popma sejunctos conglobavit, alter nec incerta, quae dicebantur, inserere nec longe a vulgato ordine recedere ausus est, sed satis habuit res adscriptis et veterum et recentiorum testimoniis explicasse. 8. Neutrius, nec Majansii nec Bolhuisii, (nam Lion nullo in numero est) *dissertationes nancisci se potuisse* (praef. p. VI) profitetur, qui post eos rem suscepit Augustus Krause***); item ordinem Popmae retinuit, sed ex incertis fragmentis circiter triginta maximam partem in primum librum inseruit, mire quam conturbata atque confusa. Quodsi de consilio, quod Cato in conscribendis Originibus secutus esse videretur, aliquam habuisset opinionem, neque ordinem Popmae saepe inexplicabilem retinuisset neque tot fragmenta reliquisset incerta neque tam confusa fragmenta primo libro inculcasset. Legentibus ipsius annotationes facile apparebit piguisse eum acrius rem perquirere et investigare.

9. Sic res se habebat, quum ad eam quasi integram accessit A. Wagener†). Primum recte fecit, quod ex Popmae potestate se emancipavit. Deinde in singula fragmenta diligenter et docte inquisivit optimeque de emendatione eorum meritus est. Sed quum vitaret Charybdim nimiae religionis, qua laborarunt superiores, incidit in Scyllam. Non enim quaeritur, quo singula fragmenta referri possint, sed quo necessario referri debeant. In levioribus quidem rebus facile patimur, si quis isto conjecturarum utitur genere, sed ita abusus est Wagener, ut ne summarium quidem, quod tradidit Cornelius

*) Catoniana sive M. Porcii Catonis Censorii quae supersunt operum fragmenta. Nunc primum seorsum auctius edidit Albertus Lion. Gottingae 1826.

**) Joannes Hugo van Bolhuis diatribe litteraria in M. Porcii Catonis Censorii quae supersunt scripta et fragmenta. Trajecti ad Rhenum 1826.

***) Vitae et fragmenta veterum historicorum Romanorum. Composuit Augustus Krause. Berolini 1831.

†) M. Porcii Catonis originum fragmenta emendata, disposita, illustrata ab A. Wagener. Bonnae 1849. (dissert. inaug.)

Nepos, spectandum esse censeret. De consilio quidem, quo scripsit Cato Origines, errare poterat Nepos et re vera errasse videtur, de summa rerum non item. Pluribus verbis rem comprobabimus, ubi de dictatoribus Carthaginiensium disseremus. Sed multo magis reprehendendus videtur, quod quum subscribit sententiae eorum, qui res Romanorum per totum opus persecutum esse putant Catonem, aut quanta in dumeta compelleretur, reticuit, quod in explicando fragmento 51 demonstrabimus, aut contra librorum optimorum auctoritatem fragmentorum sedem suo Marte mutavit (frg. 69). Facile concedimus, qua constantia fuit Cato, non temere eum in medio opere consilium mutasse, id quod alii contenderunt, sed quaerendum est, quale fuisse putandum sit consilium Catonis, ut nec reliquiis aut summario Nepotis nec notissimae Catonis constantiae repugnet. Ceterum tantum abest, ut debita laude fraudatum velim virum doctum, ut melius de Catonis originibus profitear meritum esse neminem. 10. Postremo Originum reliquias collegit Carolus Ludovicus Roth.*) Accurata quidem est ea collectio, vix ut quidquam ex certis Originum reliquiis desideres, sed ita compendiaria, ut ne libros quidem satis distincte designaverit. Videtur fragmenta ex summario Nepotis disposuisse. Quid in singulis singulorum librorum fragmentis collocandis spectaverit, non ubique apparet, nam rarissime tantummodo in rebus vel maxime dubiis atque obscuris addidit testimonium alius scriptoris, ut indicaret, quam rem significatam esse putaret. Promiscue etiam ea posuit, quae ipsi suspecta videbantur et quae certe ad Origines referri non possunt, veluti facete illud dictum *et in Italia atras capras lacte album habere* ap. Charis. I, p. 102 Keil. Ceterum ne quis numeris Rothianis, quos infra fragmentis adscripsi, decipiatur, monitos velim eos, qui haec legent, numeris 1—3 contineri judicia veterum de Originibus, numero 4 omnes praefationis reliquias.

11. Quum igitur haudquaquam rem ad finem perductam esse putarem, retractare eam constitui, non quod quaestionem difficilem me expediturum sperarem, sed ut doctorum hominum studia iterum ad clarissimum clarissimi scriptoris opus converterem. Proponam autem primum ipsas reliquias, deinde summarium Cornelii Nepotis interpretatus ordinem institutum defendam consiliumque Catonis in his libris scribendis quale mihi videatur, explicabo; tum de inscriptione operis disseram, postremo pauca addam de fontibus atque auctoritate Catonis et de Statilio Maximo.

II.

Ac primum quidem ipsae Originum reliquiae in eum ordinem sunt redigendae, quem Cato secutus esse videtur. Atque ut uno adspectu totum liceret aestimare opus, rationes, quibus ad hunc potissimum ordinem instituendum adductus sum, integras ad insequens

*) Historicorum veterum Romanorum reliquiae a Car. Lud. Roth collectae et dispositae. Adjunctae Salustii operibus, quae tertio edidit Fr. Dor. Gerlach Basiliae 1853.

caput reservandas esse existimavi. Itaque nihil addidi nisi numeros Wagenerianos et Rothianos adscripto libri numero, ubi alius libri esse fragmentum Wagener putavit, Roth putasse videtur. Subscripsi praeterea annotationes criticas, non quo omnia librariorum menda notarem ne in iis quidem verbis, quae ipsius Catonis esse videntur, sed ut in gravioribus rebus facile discerneretur, quid ad codicum auctoritatem, quid ad doctorum hominum conjecturas esset referendum.

Lib. I.

1. Si ques sunt homines. Cato Origines sic inchoat Servius art. gramm. 5, 6. p. 506 Lind. Si ques sunt homines, quos delectat populi res gestas describere. Pompejus Comm. art. Donat. p. 254 Lind. (W. 1. R. 4.)

2. Nihil agendo homines male agere discunt. Catonis oraculum ap. Columellam XI, 1. (W. 3. R. 4.)

3. ***P. Scipionem eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset.*** Cato ap. Ciceronem de Off. III, 1, 1. — ***Africanum solitum esse dicere, numquam se plus agere, quam nihil cum ageret, numquam minus solum esse, quam cum solus esset.*** Cato ap. Cic. de republ. I, 17, 27. (W. 3. R. 4.)

4. *Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportere.* Cato in principio Originum suarum ap. Cic. pro Planc. 27, 66. — *Otii, cujus et Cato reddendam rationem putat.* Justin. praef. 5. (W. 2. R. 4.)

5. ***Primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines. Hos postea adventu Aeneae Phrygibus junctos Latinos uno nomine nuncupatos.*** Cato in Originibus ap. Serv. Aen. I, 6. (W. 10. R. 10.)

6. Agrum quem Volsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit. Cato in I Originum ap. Priscianum V, 12, 65. et VI, 8, 41. (W. 5. R. 10.)

7. *Ἕλληνας αὐτοὺς (τοὺς Ἀβοριγῖνας) εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωικοῦ μεταναστάντας. Οὐκέτι μέντοι διορίζουσιν οὔτε φῦλον Ἑλληνικὸν οὗ μετεῖχον οὔτε πόλιν ἐξ ἧς ἀπανέστησαν οὔτε χρόνον οὔθ'*

1) Cod. quies; male retinuerunt Lindem, Lachmann de font. L. II, p. 18, Krause; ques scripsit Cato, cf. frg. 66. Serv. Aen. I, 95, ubi ex Origin. si ques sint populi. Orta videtur forma monstrosa ex librarii explicatione ques. — sunt homines emend. Lindem. cod. homines sunt.

3) Appellatus est Codd. nonn., alii appellatus sit, quae scriptura post multas disceptationes nunc probata a plerisque defenditur Non. vv. aequales et appellare p. 161 et 163 Gerl. Revocavi veterem scripturam propter Senecam de brev. vitae 13, 5.

5) Cod. Fuld. tenuisse Italos quosd. Dolendum sane, quod in Servianis non aliud adhuc est refugium nisi fides Alberti Lion.

6) Ager male nonnulli ex conj. cf. frg. Cat. de lege Voconia ap. Serv. Aen. I, 573.

ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας οὔθ' ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον. Ἑλληνικῷ τε μύθῳ χρησάμενοι οὐδένα τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιωτὴν παρέσχοντο. — Πόρκιος Κάτων ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγὼν καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος καὶ ἄλλοι συχνοί ap. Dionys. Halic. I, 11, p. 9 Sylb. — Εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται ib. 13, p. 11. (W. 4. R. 11.)

8. Τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναι ἐπὶ Σάβου, τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. Πρώτην δ' αὐτῶν οἴκησιν γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην, ἐξ ἧς ὁρμηθέντας (τότε) τοὺς Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων ἅμα κατοικούντων καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτιλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας ἄλλας τε πόλεις κτίσαι πολλάς, ἐν οἷς οἰκεῖν ἀτειχίστους, καὶ δὴ καὶ τὰς προςαγορευομένας Κυρεῖς. χώραν δὲ κατασχεῖν τῆς μὲν Ἀδριανῆς θαλάττης ἀπέχουσαν ἀμφὶ τοὺς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίους σταδίους, τῆς δὲ Τυρρηνικῆς τετταράκοντα πρὸς διακοσίοις. μῆκος δ' αὐτῇ εἶναι ὀλίγῳ μεῖον χιλίων σταδίων. Κάτων ap. Dionys. II, 49, p. 112. ***A Sabo Lacedaemonio trahere eos (Sabinos) originem.*** Cato ap. Serv. Aen. VIII, 638. (W. 22. R. II, 59.)

9. ***Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum.*** Cato ap. Serv. Aen. VIII, 638. (W. 23. R. II, 59.)

10. ***(Metabus) licet Privernas esset, tamen quia in Tuscorum jure paene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnium odia ferebantur. Nam pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur.*** quod Cato plenissime exsecutus est. Serv. Aen. XI, 567. (W. 12. R. II, 68.)

11. S e d l u c u s C a p e n a t i s. Cato in I Originum ap. Prisc. IV, 4, 21 et VII, 12, 60. (W. 26. R. 25.)

12. ***hos (lucos Capenos) Vejentum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam cum adolevissent miserat.*** Cato ap. Serv. Aen. VII, 697. (W. 26. R. II, 58.)

13. I n S a u r a c t i e t F i s c e l l o c a p r a e f e r a e s u n t, q u a e s a l i u n t e x s a x o

8) edd. vett. *Σάμου* sive *Σαβίνου* male cf. Fest. s. v. propter p. 229 M. — *Τεστρούνα* Cod. Ven. cf. Petit-Radel Ann. dell' Inst. 1832 p. 259. — *Κοτιλίας* pro vet. *Κοτυλίας* et *Κοτύνας*. cf. Suet. Vespas. 24 et saepius.

10) Summa in hoc fragm. est difficultas; quaeritur enim, utrum omnia sint Catoniana, an extrema tantummodo verba. Mihi quidem Etruscorum modo imperium descriptum videtur a Catone, nam de Metabo certe tam multa afferre non poterat Cato, ut plenissime scripsisse dici posset. Eadem sententia esse videtur Wagener, Roth de Privernatibus locum esse censet.

11) Locus desperatus. Cluverius p. 548. cj. hos filios cond. Vejentum regis. Niebuhr R. H. I, p. 134 Vejentum juventutem fuisse oppidumque cond. Wagener Vejentum juvenes cond.

13) Sauracte Fiscello codd. omisso et, quod addidi ex conj. Cluverii It. ant. p. 545. — Libro codd. Fridericus Ritschl N. Rh. Mus. IV, p. 29 contendit quidem negligentes tantummodo grammaticos opus in plures divisum libros singulariter vocasse librum, sed quum etiam altero illo Varronis loco R. R. I, 2, 7. sine ulla varietate codd. legatur libro, nihil mutandum esse censui.

pedes plus sexagenos. Cato in Originum libro ap. Varronem R. R. II, 3, 3. *In Fiscello Sauracti esse capras, quae ex saxo saliunt plus sexagenos pedes.* Cato ap. P. Crescentium Rur. Comm. IX, 76. (W. 27. R. II, 57 alterum locum omisit.)

14. *Falisca Argis orta.* Cato ap. Plin. n. h. III, 5, 51 Jan. (W. II, 42, R. II, 55.)

15. Ideo Graviscae dicta sunt, quod gravem aerem sustinent. Cato in Originibus ap. Serv. Aen. X, 184. (W. II, 61. R. II, 54.)

16. *Qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum negat (Cato) sibi compertum. sed inveniri Tarchonem Tyrrheno oriundum, postquam eorum territorium ceperit, Pisas condidisse, quum antea regionem eandem Teutanes quidam Graece loquentes possederint.* Cato Originum I ap. Serv. Aen. X, 179. (W. 13, R. II, 53.)

17. *Aeneam cum patre ad Italiam venisse et propter invasos agros contra Latinum Turnumque pugnasse, in quo proelio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse ejusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Aeneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium et Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse.* Cato ap. Serv. Aen. I, 267. De Anchisae in Italiam adventu saepius laudatur Cato a Servio I, 570, IV, 427, III, 710, quo loco in libris nonnullis additur in Originibus. (W. 9. R. 15.)

18. *Trojanos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Trojana. Eum habuisse jugera DCC.* Cato in Originibus ap. Serv. Aen. XI, 316. (W. 6. R. 15.)

19. *Trojam dici, quam primam fecit Aeneas.* Cato in Originibus ap. Serv. Aen. I, 6. VII, 158. (W. 7. R. 15.)

20. *Aeneas simul(ac) venit (ad) Italiam, Laviniam accepit uxorem, propter quod Turnus iratus tam in Latinum quam in Aeneam bella suscepit a Mezentio impetratis auxiliis.* Cato ap. Serv. Aen. VI, 760. (R. 15.)

21. *Primo proelio interemptus Latinus est (in acie), inde ubi Turnus Aeneam vidit superiorem, Mezentii imploravit auxilium; secundo proelio Turnus occisus est et nihil-*

---

16) Tarchonem, alii codd. Trachonem, librarii ut videtur errore; Lion Caton. p. 41 Tarchontem (cf. Verg. Aen. VIII, 603, XI, 727) — eorum territorium ex mea conj. codd. corundem sermonem. Cluver. Ital. antiqu. p. 464 eorum regionem., Lion eorum locorum domicilium. — Teutanes cj. Salmasius Exerc. Plin. p. 43, a. (cf. Plin. III, 5, 50) prob. Mueller Etr. I, p. 94; codd. Teutones. — Originum I. nonnulli codd. omittunt numerum, ita ut non sit, quo referamus genetivum, id quod ne Servianae quidem aetatis grammatici fecisse putandi sunt. Roth legit Originum libro, nescio utrum ex conject., an ex codd. auctoritate. De singulari numero cf. ad fragm. 13, sed reliquis locis Servianis numquam ita citantur Origines.

17) Quae Servius addidit I, 267 de origine nominis Juli, Catoniana mihi quidem esse non videntur, nam hujus rei auctorem adscripsit Julium Caesarem.

18) codd. duo millia septingenta. Guelf. I ũ d., Guelf. II ũ Dũ ũ dnm.

19) primam ex mea conj.; codd. primum.

21) in arce add. libri nonnulli, in acie cj. Roth.

ominus Aeneas postea non comparuit; tertio proelio Mezentium occidit Ascanius. Cato in Originibus ap. Serv. Aen. IX, 745. — *Juxta Laurolavinium cum Aeneae socii praedas agerent, proelium commissum, in quo Latinus occisus est, fugit Turnus et Mezentii auxilio comparato (renovavit proelium, qui) victus quidem est ab Aenea, qui tamen Aeneas in ipso proelio non comparuit. Ascanius (vero) postea Mezentium interemit.* Cato ap. Serv. Aen. IV, 620. (W. 8. R. 16.)

22. *Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant et Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse: Juppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius, quam Mezentio, uti nos victores facias.* Cato in primo libro Originum ap. Macrob. Saturn. III, 5, 10. (W. 11 R. 17.)

23. *XXX annis expletis eum (Ascanium) Albam condidisse.* Cato ap. Serv. Aen. I, 269. (W. 14. R. 16.)

24. *Albanum montem ab Alba longa dictum.* Cato ap. Serv. Aen. XII, 134 (W. 15. R. II, 63.)

25. *Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει.* Sequitur narratio de fratribus geminis usque ad necem Amulii. ap. Dionys. I, p. 64—70. Quamquam bis (p. 67 et 70) affirmat Dionysius Fabiana se referre, tamen etiam praeter illud Aelii Tuberonis testimonium (p. 67) multa insunt, quae Dionysii potius loquacitatem, quam Fabii qui fuisse videtur, morem rerum scribendarum sapiant. Atque ut non omnia quae sunt apud Dionysium a Catone narrata esse credimus, sic erant alia apud Catonem, quae omisit Dionysius, velut insequens fragmentum, ut aliqua ex parte in eo numero fuisse videatur Cato, quos Dionysius dicit *οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντας ἱστορικῇ γραφῇ προσήκειν.* (p. 70.)

26. *Larentiam meretricio quaestu locupletatam post excessum suum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lintirium et Solinium reliquisse et ideo sepulchri magnificentia et annuae parentationis honore dignatam.* Cato ap. Macrob. Sat. I, 10, 16. (W. 16. R. 23.)

27. Qui urbem novam condet, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat, ubi portam vult esse, aratrum sustollat et portet et ita portam

23) deest fragm. in codd. nonnullis.

24) codd. nonnulli Albonum.

26) Laurentiam male tres Jani codd. — Semmurium Gud. (cf. Cic. Phil. VI, 5, 14). — Litirium Baroccianus, Linterium Cantabr. Salisb. Medic., Lutinium Parisin. I. — Cave, ne eorum conjecturam admittas, qui praceunte Cellario Orb. antiqu. I, 64 Solonium scribendum putent, nec situ nec amplitudine campi perspecta. cf. nostram chorogr. Latin. p. 118.

27) Ad ea, quae ex Originibus (nonn. codd. male Originalibus) petiverat Servius, addit: Unde et territorium dictum est, quasi terriborium (alii terribovium, Dan. Fabr. tritorium) tritum bubus et aratro.

vocet. Cato ap. Isidor. Orig. XV, 2, 3. — *Conditores civitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus jungebant et incincti ritu Gabino, id est, togae parte caput velati, parte succincti tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca murorum designabant aratrum suspendentes circa loca portarum.* Cato in Originibus ap. Serv. Aen. V, 755. (W. 18. R. 21.)

28. *Κάτων δὲ Πόρκιος Ἑλληνικὸν μὲν οὐχ ὁρίζει χρόνον· ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος εἴ καί τις ἄλλος εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας, ἔτεσιν ἀποφαίνει δυσὶ καὶ τριάκοντα καὶ τετρακοσίοις ὑστεροῦσαν τῶν Ἰλιακῶν.* Dionys. I, 74, p. 60. — *Πόρκιος δὲ Κάτων, ἀνὴρ φιλόπονος περὶ συναγωγὴν τῶν ἀρχαιολογουμένων ἱστοριῶν μετὰ τὰ Τρωικὰ χρόνοις ὕστερον υλβʹ.* Georg. Syncell. chronogr. p. 365 Dind. — *Ἀνύονται τοιγαροῦν ἐκ τῆς Αἰνείου ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν παρόδου ἕως τοῦ πολισμοῦ τῆς Ῥώμης θʹ καὶ λʹ καὶ υʹ κατὰ Κάτωνα τὸν πρῶτον καὶ Βάρρωνα τοὺς Ῥωμαίους.* Joan. Lydus de magistr. I, 2, p. 122 Bekker. (W. 17 R. 20.)

29. *Οὐδὲ γὰρ ἀγνοήσας ὁ Ῥώμυλος ἢ οἱ κατ' ἐκεῖνον καιροῦ τὴν Ἑλλάδα φωνήν, τὴν Αἰολίδα λέγω. Κάτων ἐν τῇ περὶ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιότητος* ap. Joan. Lydum de magistr. I, 5, p. 125. (W. 20. R. 12.)

30. Antemna etiam veterior est quam Roma. Cato in I Originum ap. Priscianum VI, 15, 80. (W. 21. R. 13.)

31. *Jam a principio regnante Romulo quum Capitolio ab Sabinis capto medio in foro signis collatis dimicaretur, nonne intercursu matronarum inter acies duas proelium sedatum est?* Cato Origg. ap. Livium XXXIV, 5. (W. 24. R. 24.)

32. Propter id bellum coepit Cloelius Pr. Albanus; oratores misit Romam cum.... Cato Originum l. I ap. Festum v. Oratores p. 182 M. (W. 25 R. 27.)

Nolim absurda haec verba, id quod fecit Roth, Catoni imputare. Non sunt verba Catonis, sed commentatoris; si etiam haec apud Catonem fuissent, ex suo more scripsisset Servius *unde et territorium dictum esse.*

30) Antemna etiam ex mea conj. Codd. Antemnantia Roth cj. Antemnatium. Edd. vett. Antempna.

31) Hoc loco non potui non mirari versutiam hominum doctorum, qui olim fragm. hist. collegerunt. De errore ab interpretibus jam pridem notato, quo deceptus Livius Valerium in suadenda lege Oppia revolventem induxit Origines Catonianas, hoc loco disputare supervacaneum est. Livius igitur quinque prolatis exemplis virtutem matronarum de republica optime meritarum comprobat. Sed quaeritur, utrum primum tantummodo exemplum, an omnia ex Originibus petiisse putandus sit Livius. At huic quaestioni se subtraxerunt, qui primo transscripto exemplo quid de reliquis sentirent, famoso illo *et cetera* divinare jusserunt legentes, quamvis numquam praeterea gravati vel verbosissimos locos transscribere in iisque etiam ea, qua Catoniana omnino non sunt. Bolhuis, qui in incertis ponit fragmentum, solus omnia ea exempla pro Catonianis habet, Wagener primum, quamquam ex re ejus erat etiam reliqua Catoni adscribere. Quum gitur potestas optioque data sit, utrum malimus, lubenter assentior Wagenero.

32) Propter cj. Müller. cod. propte; alii propterea. — Cloelius cj. Popma, cod. Coelius (cf. Paul Diac. p. 56 M.)

33. *(Polites) quod in Italiam venerit et segregatus ab Aenea condiderit oppidum Politorium a suo nomine.* Cato in Originibus ap. Serv. Aen. V, 564. (W. 28. R. II, 65.)

34. *Κάτων μέντοι τούτων (Φαβίου καὶ Οὐεννωνίου) ἀξιοπιστότερος ὢν οὐχ ὁρίζει τῶν μοιρῶν τὸν ἀριθμόν.* Dionys. IV, 15, p. 220. (W. 29. R. 30.)

35. Fana in eo loco compluria fuere; ea exauguravit, praeterquam quod Termino fanum fuit; id nequitum exaugurari. Cato Originum L. I. ap. Fest. v. nequitum p. 162. (W. 30. R. 31.)

36. Nam de omni Tusculana civitate soli Lucii Mamilii beneficium gratum fuit. Cato in I Originum ap. Priscian. VI, 7, 36 et 16, 82. (W. 31. R. 32.)

Incertae sedis.

37. Inde est ferme mille passum. Cato in primo Originum ap. Gell. I, 16, 4. (W. 34. R. 26.)

38. Postridie signis collatis, aequo fronte, peditatu equitibusque alariis cum hostium legionibus pugnavimus. Cato in primo Originum ap. Gell. XV, 9, 5. (W. V, 88. R. V, 96.)

39. Recto fronte. Cato in eodem libro ibid.

40. Igitur tertio pedato bellum nobis facere. Cato Originum l. I. ap. Nonium v. pedato p. 46 Gerl. (W. 35. R. 28.)

41. Veteres prosapia et multa alia apud multos. Cato Originum lib. I. ap. Nonium v. prosapies p. 48. (W. 32. R. 8)

42. Vehes ligni. Cato Originum I ap. Charisium I, p. 72 Keil. (W. 33. R. 29.)

Lib. II.

43. *Venetos Trojana stirpe ortos auctor est Cato, Cenomanos juxta Massiliam habitasse.* Plin. III, 19, 130. (W. 51., R. 46.)

---

34) Sic locum restituit Niebuhr. R. H. I, p. 460. Antea legebatur *Κάτων μέντοι τούτων ἐπὶ Τυλλίου τὰς πάσας γενέσθαι λέγει· ὡς δὲ Οὐεννώνιος ἱστόρηκεν, εἰς μίαν τε καὶ τριάκοντ φυλάς, ἀξιοπιστότερος ὢν οὐχ ὁρίζει τῶν μοιρῶν τὸν ἀριθμόν.* Quae praeterea accesserunt ad haec verba (cf. Niebuhr l. l. Fr. Ritschl de Cod. Urbinate Dionys. Halic. disp. Bonnae 1847. p. 5) nihil ad Catonem.

36) Variant Codd. deterioris notae ut solent in his nominibus Lucilii — Mamlii, Manilii, Mamilli relq.

37) Guelf. passus. edd. vett. passuum.

38) peditatu equitibusque alariis ex mea conj. (Liv. XL, 40). Codd. peditatu peditibus atque alis, equitibus atque alis sive aliis. peditatu velitibus atque alis cj. J. Gronov., peditatu equitibus atque alis, ed. Lion, peditatu (peditibus, equitibus) atque alis M. Hertz. — pugnavimus ex opt. codd. scr. M. Hertz pugnavit reliqui. Idem M. Hertz in primo Originum (codd. Reg. et Lugd. maj.), reliqui in quinto Originum s. quinta origine. Inducti videntur librarii prima persona (pugnavimus) ut aut in primo Orig. — pugnavit, aut in quinto — pugnavimus scriberent.

41) Veteris prosapies cj. Freund, Veteres prosapiae Roth.

44. **Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui.** Cato Originum II ap. Charis. II, p. 202 Keil. (W. 43. R. 49.)

45. Papaver Gallicanus. Cato Originum secundo ap. Charis. I, p. 83. (W. 63. R. 50.)

46. ***Euganeas gentes, quorum oppida XXXIIII*** enumerat Cato ap. Plin. III, 20, 133. (W. 45. R. 48.)

47. ***Boji quorum tribus CXII fuisse*** auctor est Cato ap. Plin. III, 15, 116. (W. 53. R. 42.)

48. ***Orobiorum stirpis esse Comum atque Bergomum et Licini forum aliquot circa populos*** auctor est Cato ap. Plin. III, 17, 124. — ***Oppidum Orobiorum Parra, unde Bergomates Cato dixit ortos.*** Plin. ib. 125. (W. 47. R. 45.)

49. ***Larius est lacus vicinus Alpibus, qui per sexaginta extenditur milia.*** Cato in Originibus ap. Serv. Georg. II, 159. (W. 52. R. 47.)

50. ***Lepontiis et Salassos Tauriscae gentis*** arbitratur Cato ap. Plin. III, 20, 134. (W. 46. R. 48.)

51. Libui qui aquatum et lignatum videntur ire, securim et lorum ferunt, gelum crassum excidunt atque loro conligatum auferunt. Cato Originum lib. II ap. Non. v. gelu p. 141. (W. 50. R. 44.)

52. Sed ipsi unde oriundi sint exacta memoria illiterati mendacesque sunt et vera minus meminere. Cato Originum II cum de Liguribus loqueretur ap. Serv. Aen. XI, 715. ***Ligures autem omnes fallaces sunt.*** Cato in secundo originum libro ib. 700. (W. 49. R. 41.)

53. ***Novaria*** ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodieque pago, non ut Cato existimat, ***Ligurum.*** Plin. III, 17, 124. (W. 48. R. 43.)

54. Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium. In eo agro aliquotfariam in singula jugera dena cullea vini fiunt. Cato in libro Originum ap. Varronem R. R. I, 2, 7. (W. 54. R. 51.) ***Singula jugera vinearum sexcenas urnas vini praebuisse.*** Cato ap. Columel. III, 3, 2, cf. 9, 3. Plin. XIV, 4, 52.

55. ***Ameriam*** Cato, ***ante Persei bellum conditam annis DCCCCLXIIII*** prodit. Plin. III, 14, 114. (W. 55. R. 52.)

56. Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicavit dictator Latinus. Hi populi communiter: Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis Rutulus. Cato in Originum II ap. Priscian. IV, 4, 21 et iterum VII, 12, 6 omissa voce ***Rutulus.*** (W. 37. R. 64.)

---

49) lacus est in Gallia vicinus. Cod. Guelf. — quadraginta id. et Ursin. falso; cf. Cluver. p. 411.

51) Libui cj. Roth. Codd. Libyi, Guelf. libri. Gerl. cj. Ligui — videntur Lips. cj. jubentur. — lorum ex conj. Lipsii. Codd. solum, C. Lugdun. solum folum.

56) Egerius bebius cod. Caroliruh., brevius Lugd. Laebius Halberstad. lebius Parisin. Amien. Bern. — Rutulus interpretamentum esse censet Lorenz. de dict. Lat. et mun. I, p. 38. Habeo cur negem. — VII, 12, 6 citatur fragm. ex eodem libro, quo id quod antecedit (frg. 62).

57. Conditum est ***Tibur***, sicut Cato facit testimonium, ***a Catillo Arcade praefecto classis Euandri.*** Solin. 2, 8. (W. 40. R. 60.)

58. In campo Tiburti ubi (h)ordeum demessuit, idem in montibus serit, ubi (h)ordeum idem iterum metit. Cato in II Originum ap. Priscian. X, 8, 47. Prius comma ex Originum II. ap. eund. de XII vers. Aen. § 132. (W. 41. R. 61.)

59. Quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit. Cato ap. Serv. Aen. VII, 682. (W. 38. R. 62.)

60. ***Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse ideoque Vulcani [filium eum ex]istimasse et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum. Hic collecticiis pastoribus [urbem Praenes]te fundavit.*** [Ca]to in Originibus in Schol. Veron. ad Aen. VII, 249, p. 99 Keil. (W. 39. R. 62.)

61. Si quis mortuus est Arpinatis, ejus heredem sacra non secuntur. Cato Originum II ap. Priscian. IV, 4, 28 et iterum VII, 12, 60. (W. 57. R. 67.)

Incertae sedis.

62. In maximum decus atque in excelsissimam claritudinem sublimavit. (Cato) Originum l. II. ap. Festum v. sublimavit p. 306. (W. 59. R. 35.)

63. Neque satis habuit, quod eum in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. Cato in secunda origine ap. Gell. XVII, 13, 4. (W. 44. R. 33.)

64. Si inde in navis putidas atque sentinosas commeatum ponere volebant. Cato Originum lib. II ap. Non. v. putidum p. 104. (W. V, 104. R. 39.)

65. Fana hoc loco compluria. Cato Originum secundo ap. Donatum ad Terent. Phorm. IV, 3, 6. (R. I, 31.)

66. Quescunque Romae regnavissent. Cato Originum II ap. Charis. I, p. 91 et libri numero non addito ap. Priscian. XIII, 3, 13. (W. 36. R. 34.)

67. In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multati, alteras oppidum vi captum, alteras primo pedatu et secundo. Cato ap. Charis. II, p. 215. (W. 62. R. 37.)

---

58) Cod. Dresd. test. Lione ex V Originum.

59) Deest locus in codd. plerisque.

61) Cod. Bern. consequuntur; male cf. Savigny vermischte Schriften I, p. 155 sq. — VII, 12, 60 Priscianus numerum non addidit, sed scribit: *idem in eodem* et quia antecedit frg. 11 libri primi, etiam hic locus ad primum librum referendus esset, nisi recte priore loco ex secundo libro esse haec verba idem Priscianus traderet.

63) eam edd. vett.

64) Si inde in naves — ponere cj. Roth. (cf. Cato R. R. 7). Codd. si inde ignavis — onere; Popma cj. is inde in naves. Salm. is endo naves. Wag. cunctas naves commeatu — onerare. Codd. Pontani commeatu movere, Palmer commeatum moinire volebat. Lips. nolebat.

67) In codd. nonnul. additur Cato senex in historiarum secundo. Numquam praeterea ea inscriptio

68. **Itaque res uber fuit, antequam legiones. ...** Cato in II Originum ap. Priscian. V, 3, 16. (W. 60. R. 36.)

69. **Ex sale, qui apud Carthaginienses fit.** Cato in II Orig. ap. Priscianum V, 8, 45. (W. V, 103. R. 38.) Idem fragm. sine inscr. et numero libri apud Alcuinum in gram. p. 2091 P., quod notavit Bolhuis.

Lib. III.

70. *Capuam ab iisdem Tuscis conditam ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam antequam a Romanis caperetur annis circiter CCLX.* Cato ap. Vellej. I, 7. (W. 65 R. II, 69.)

71. *Interiisse Thebas Lucanas* Cato auctor est. Plin. III, 11, 98. (W. 67. R. 71.)

72. *A Philoctete condita jam pridem civitate (Petelia) murum tantum factum.* Cato ap. Serv. Aen. III, 402. (W. 64. R. 75.)

73. *Meluntii Tauriani vocantur de fluvio, qui propter fluit. Id oppidum Aurunci primo possederunt, inde Achaei Troja domum redeuntes. In eorum agro fluvii sunt sex, septimus finem Rheginum atque Taurinum dispertit: fluvii nomen est Mecodi. Eo Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum venisse et non longinqua memoria est, cum in arbore ensem viderunt, quem Orestes abiens reliquisse dicitur.* Cato Originum III ap. Prob. ad Verg. Buc. V, 2, p. 4 Keil. (W. 64. R. 75.)

Incertae sedis.

74. Equos respondit: oreas mihi inde, tibi cape flagellum. Cato Originum l. III ap. Festum v. Oreae p. 182. (W. 68. R. 70.)

---

originum legitur apud Charisium itaque recte ejecit Henricus Keil. Sed quamquam postea a librario additus videtur libri numerus, tamen fragm. in prorsus incerta Catoniana abjicere nolui.

68) edd. vett. regiones. — add. praeterea passim Codd. altera manu vastassent.

69) Cod. Bern. Cato in secundo, Lugdun. III., Wagener male V

73) Sic locum desperatum emendare conatus sum. Ad hasce conjecturas defendendas adhibendas est locus ex Varronis Humanarum libr. XI eodem loco a Probo laudatus. ***Juxta Rhegium fluvii sunt continui septem Latápadon, Micodes, Eugiton, Stracteos, Polie, Molee, Argendes.*** In his matris nece purgatus dicitur Orestes. Jam vides eadem esse flumina, quorum mentionem fecit Cato. Quas ad hunc locum adscripsit varias lectiones ex Codd. Veronensi et Parisino Henricus Keil, nihil ad nos pertinere videntur, nam non inest nomen, ad quod cognomen desinens in — unti referri possit. Sed pro Molee lege ex aliis Codd. Meleissa sive Meloessa, ut est in edit. Bipontina frgg. M. Terentii Varronis p. 207, a qua accolae appellati sunt Meluntii. Id proxime accedit ad similitudinem scripturae Cod. Paris. Thelunti., Veron. Thesunti., Roth cj. Acherunti; vett. edd. male Rhegini. — Fluvii nomen est Pecolieo Orestem Codd. Paris. et Veron., unde Hermann opusc. II, p. 73 Phacelini, Bergk Ztschft. für d. Alterthw. 1845 p. 127 Phacelino. Est Phacelinus fluvius Siciliae. (Vibius Sequ. p. 72 Hessel) alii leg. Paccolino. Recte nunc extremas syllabas conjungunt cum iis, quae sequuntur, quum scribant Pecoli. Eo Orestem seqq. Sed Pecolus sive Pecoles qui sit fluvius, ignoratur. Est autem in fluviis his Varronianis Micodes sive Mycodes, Graece fortasse Μηκώδης. Hunc puto a Catone esse nominatum et pro Pecoli scribendum censeo Mecodi.

75. **Haut eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient.** Cato in tertia Origine ap. Gell. XVII, 13. 3. (W. 72. R. 76.)

76. **Laserpitium pro pulmentario habet.** Cato Originum III ap. Charisium I, p. 73. (W. 70. R. 73.)

77. **Multo pulmento usi.** Cato in eodem ib. (W. 71. R, 73.)

Lib. IV.

78. Mapalia vocantur, ubi habitant; ea quasi cohortes rotundae sunt. Cato Originum libro quarto ap. Fest. v. mapalia p. 146. cf. Paul. Diac. ead. v. p. 147. — *Magalia aedificia quasi coortes rotundas dicunt.* Cato originum primo ap. Serv. Aen. I, 421. (W. 74. R. 78.)

79. (Tres partes politiae, populi, optimatium, regiae potestatis) *de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem* ait Cato ap. Serv. Aen. IV, 682. (W. 75. R. 79.)

80. Si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. Cato in IIII Originum ap. Priscian. VI, 13, 69. (W. 76. R. 90.)

81. Compluriens eorum milites mercennarii inter sese multi alteri alteros in castris occidere, compluriens multi simul ad hostes transfugere, compluriens in imperatorem impetum fecere. Cato in IIII Originum ap. Gell. V, 21, 17. Primum comma etiam ap. Non. v. compluriens p. 61. (W. 77 R. 87.)

82. Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstiterit. Verba Catonis ex originum quarto ap. Gell. II, 28, 6. (W. 73. R. 77.)

83. *Legiones nostras in eum saepe locum profectas alacri animo et erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur.* Cato in Originibus ap. Cic. de senect. 20, 75. *Legiones saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur.* Cato ap. Cic. Tusc. I, 42, 101. (W. Inc. 120. R. 82.)

84. *Imperator Poenus in terra Sicilia, bello Karthaginiensi primo, obviam Romano exercitu progreditur, colleis locosque idoneos prior occupat. Milites Romani, uti res nata est, in locum insinuant fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus ad consulem venit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia maturum. — Censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos ad verrucam illam ire jubeas eamque uti occupent imperes horterisque;* (hoc comma extremo verbo excepto

---

78) Mapalia et Magalia; multo usitatior prior est forma, itaque malim suspicari errasse h. l. Servium, quam cum Wagenero mutare locum Festi et Pauli. praesertim quum in codd. nonn. Servii desit locus et falso citetur ex libro I.

79) Etiam hic locus in codd. nonn. deest.

81) Apud Nonium male, ut videtur (cf. Paul. Diac. p. 59) compluries. — pro multi ap. Non. est in Cod. Turic. inulti.

ex Gellio, ut videtur, transscripsit. Nonius v. verrucam p. 127.) *hostes profecto ubi id viderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praevertentur unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur. Tunc interea occupatis in ea caede hostibus tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia nisi haec salutis via nulla est. Consul tribuno respondit, consilium quidem istud aeque providens sibi viderier; sed istos, inquit, milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit, qui ducat? Si alium, inquit tribunus, neminem repperis, me licet ad hoc periculum utare; ego hanc tibi et reipublicae animam do. Consul tribuno gratias laudesque agit. Tribunus et quadringenti ad moriundum proficiscuntur. Hostes eorum audaciam demirantur, quorsum ire pergant in exspectando sunt. Sed ubi apparuit, eos ad eam*) verrucam occupandam iter intendere, mittit adversum illos imperator Karthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumveniuntur, circumventi repugnant; fit proelium diu anceps. Tandem superat multitudo. Quadringenti omnes cum uno perfossi gladiis aut missilibus operti cadunt. Consul interim dum ibi pugnatur, se in locos tutos atque editos subducit.* Jam non suis, sed Catonis verbis pergit Gellius: Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute ejus dederunt. Nam ita evenit: cum saucius multifariam ibi factus esset, tamen vulnus capiti nullum evenit eumque inter mortuos, defetigatum vulneribus atque quod sanguen ejus defluxerat, cognoverunt. Eum sustulere isque convaluit saepeque post illam operam reipublicae fortem atque strenuam perhibuit illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit. Sed idem benefactum quo in loco ponas, nimium interest. Leonidas Laco qui simile apud Thermopylas fecit, propter ejus virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclitissimae decoravere monumentis, signis, statuis; elogiis, historiis aliisque rebus gratissimum id ejus factum habuere. At tribuno militum parva laus pro factis relicta, qui idem fecerat atque rem servaverat. Cato libris originum ap. Gell. III, 7. (W. 80. R. 83.) Etiam nomen tribuni adscripsisse videtur Cato Q. Caedicii.

85. Drepana Cato pluraliter ap. Serv. Aen. III, 707. (R. 86.)

86. Deinde duodevicesimo anno post dimissum bellum, quod quatuor et viginti annos fuit, Carthaginiensis sextum de foedere decessere. Cato in quarto Originum ap. Non. v. Duodevicesimo p. 70. Carthaginienses sextum de foedere decessere. Cato quarta Origine ap. Gell. X, I, 7. (W. 82. R. 88.)

---

84) eos ad eam ex mea conj., vulg. ad eandem. Sed ad deest in Codd. Guelferb. Lincoln. Reg., uncis inclusit Hertz. In cod. Rottendorf. eadem verr., Gronov. cj. ad eam verr.

85) Duodevicesimo codd; duoetvicesimo cj. Roth. Utramque formam eandem ap. Nonium habere vim asseveravit Bolh. Mihi non librarii, sed ipsius Nonii error subesse videtur. — decessere cj. Merc., decernere codd.

Incertae sedis.

87. *Eum (elephantum), qui fortissime proeliatus esset in Punica acie, Surum tradidit vocatum, altero dente mutilato,* Cato ap. Plin. VIII, 5, 11. (W. 81. R. 85.)

88. Deinde dictator jubet postridie magistrum equitum arcessi: mittam te, si vis, cum equitibus. Sero est, inquit magister equitum, jam rescivere. Cato in quarto Originum ap. Gell. II, 19, 9. (W. 84. R. 92.)

89. Imperator noster si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei mulctam facit. Cato in quarto Originum ap. eund. XI, 1, 6. (W. 78. R. 93.)

90. Proelium factum depugnatumque pro castris. Cato in Originum quarto ap. Gell. XI, 3, 2. (W. 79. R. 81.)

91. Duo exules lege publicati et execrati. Cato in IIII Originum ap. Priscian. VIII, 4, 16. (W. 85. R. 89.)

92. Marsus hostem occidit prius quam Paelignus, propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen. Cato in IIII Originum ap. Priscian. IX, 9, 51. (W. II, 56. R. II, 66.)

Lib. V.

93. Fluvium Naronem magnum, pulchrum, pisculentum. Cato Originum lib. V. ap. Non. v. pisculentum p. 103. (W. 92. R. 105.)

94. *Urbes insulasque omnis pro agro Illyrio esse.* Cato in Originum quinto ap. Gell. XI, 3, 2. (W. 93. R. 103.)

95. *Alpes muri vice tuebantur Italiam.* Cato ap. Serv. Aen. X, 13. (W. IV, 83. R. IV, 91.)

96. Igitur dictatorem Karthaginiensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum, die quinti in Capitolio tibi coena cocta erit. Ex origine (Macrob. ex originibus) M. Catonis ap. Gell. X, 24, 7 et Macrob. Sat. I, 4, 26. (W. IV, 84. R. IV, 92.)

97. Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere, quod mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam se-

---

91) Addidit Priscian. ad explicandam vocem execrari, passive καταραθῆναι, in aliis libris καταραθέντες, unde execrati; cod. Bamberg. καταπραθέντες. Itaque Wolf (ad Cic. orat. pro dom. 8) pro publica et execrati aut publica execrati, quod est in codd., cj. publicati et execrati. — Scripturam cod. nescio cujus, consules pro exules, quae est ap. Lion. p. 25, non notavit M. Hertz.

92) vv. propterea Marr. vocantur et in IIII Originum omisit Cod. Sangall. — Solus Cod. Bern. pro IIII: secundo.

93) Codd. Origine fluvium; recte delevit vocem Merc.

96) Capitolium edd. vett. Gellii.

97) Cod. Guelf. pleris, cf. frg. 6. — Paulo post se domant edd. vett.

eunde processit, ne quid in consulendo advorsi eveniat, quod nostras secundas res confutet, neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat. Advorsae res edomant et docent, quid opus siet facto. Secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo. Quo majore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. Principium orationis pro Rhodiensibus habitae et Originum quinto libro inclusae (Gell. VI. 3, 8, Liv. XLV, 25, 3) ap. Gell. l. l. 14 et primum comma XIII, 25, 14. (W. 94. R. 102.) Bene contulit Roth Sulpiciae satiram v. 48 sq.

98. Atque ego quidem arbitror Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est neque regem Persen vicisse? Non Rhodienses modo id noluere, sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haut scio an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint evenire; sed enim id metuere, si nemo esset homo, quem vereremur, quidquid luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent. Libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror. Atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adjuvere. Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. Nam unusquisque nostrum, si quis advorsus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne advorsus eam fiat: quod illi tamen perpessi. ib. § 16. (W. 95. R. 102.)

99. Ea nunc de repente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? Quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? ib. § 26. (W. 96, R. 102.)

100. Qui acerrime advorsus eos dicit, ita dicit; hostes voluisse fieri. Ecquis est tandem, qui vestrorum, quod ad sese attineat, aequum censeat, poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? Nemo, opinor, nam ego, quod ad me attinet, nolim. ib. § 36. (W. 97. R. 102.)

101. Quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba, quae dicat: si quis illud facere voluerit, mille, minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta poena esto; si quis majorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto. Atque nos omnia plura habere volumus et id nobis impune est. ib. § 37. (W. 98. R. 102.)

102. Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit, neque fecerit tamen, Rhodiensibus num oberit,

98) regem Persen vinci. Sed non. M. Hertz.

102) num oberit ex mea cj. Duo codd. Gronov. et vett. edd.: male erit aut tale erit. Cod. Rottendorf. n.' aberit; unde multae conject., Otho cj. non abierit, quod recepit M. Hertz.

non quod male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere? ib. § 38. (W. 97. R. 102.)

103. Rhodienses superbos esse ajunt, id objectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. Sint sane superbi. Quid id ad nos attinet? Idne irascimini, si quis superbior est, quam vos? ib. § 50. (W. 98. R. 102.)

104. *(Rhodienses) nunc ut optime meritos commendat, nunc tamquam sint innocentes purgat, ne bona divitiaeque eorum expetantur, objurgat, nunc et quasi sit erratum, deprecatur, nunc ut necessarios reipublicae ostentat, nunc clementiae, nunc mansuetudinis majorum, nunc utilitatis publicae commonefacit.* Ex ead. orat. ibid § 52. (W. 100. R. 102.)

105. *Αὐτὸν (Σκιπίωνα) ἐς Ῥωμαίων σωφρονισμὸν ἐθελῆσαι γείτονα καὶ ἀντίπαλον αὐτοῖς φόβον εἰς ἀεὶ καταλιπεῖν, ἵνα μή ποτε ἐξυβρίσειαν ἐν μεγέθει τύχης καὶ ἀμεριμνίᾳ.* Ex ead. orat. ap. Appian. Punic. 65. (W. 99. R. 102.)

Incertae sedis.

106. Lapis candidior quam pelastes. Cato Originum L. V. ap. Fest. v. Pilates p. 237. (W. 102. R. 106.)

107. Exercitum suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit. Cato in quinta origine ap. Gell. XV, 13, 5. (W. 91. R. 95.)

108. Sed protelo trini boves unum aratrum ducent. Cato Originum lib. V. ap. Non. v. protelare p. 247. (W. 101. R. 101.)

109. Illi polliciti sese facturum omnia. Cato in V Originum ap. Priscian. IX, 7, 39. (W. 87. R. 104.)

110. Quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est. Cato in V Originum ap. Priscian. X, 3, 18. (W. 89. R. 100.)

Lib. VI.

111. Itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror. Cato in sexta origine ap. Gell. XX, 5, 13. (W. 105. R. 107.)

Lib. VII.

112. Fluvium Hiberum; is oritur ex Cantabris, magnus atque pulcher, pisculentus Cato Originum lib. VII. ap. Non. v. pisculentum p. 103. (W. 106. R. 120.)

113. Sunt in his regionibus ferrareae, argentifodinae pulcherrimae, mons ex sale mero magnus: quantum demas, tantum accrescit. Ventus Cercius, cum loquare, buccam implet, armatum hominem, plaustrum (h)oneratum

112) Cantabris cj. Popma, codd. Catinatis.

percellit. Cato in libris Originum, cum de Hispanis scriberet, ap. Gell. II, 22, 29 et Apulej. de Mundo 14. (W. V, 90. R. 121.)

114. Mulieres opertae auro purpuraque; arsineae et diadema, coronas aureas, rusceas fascias, galbeas lineas, pelles, redimicula. Cato originum l. VII. ap. Fest. v. ruscum p. 265. (W. 111. R. 114.)

115. Mulieres nostrae capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset. Cato in Originibus ap. Charis. I, p. 101. *Flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent (crines).* Cato ap. Serv. IV, 698. (W. 114. R. 115.)

116. Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, aluta laciniatos, ceteri perones. Cato Originum li. VII ap. Fest. v. Mulleos p. 142. (W. 110. R. 112.)

117. *Cato ipse, haud sane detractator laudum suarum, multos caesos ait; numerum non adscribit.* Liv. XXXIV 15. (ap. Kraus. p. 116 ex lib. Origin. V.)

118. Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus; verum enimvero cum tantam rem peragier arbitrarer. Cato ex Originum VII in oratione, quam contra Servium Galbam dixit ap. Gell. XIII, 25, 15. (W. 107. R. 124.)

119. Tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo jus pontificium optime scire; jamne ea causa pontifex capiar? si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat? Ex ead. orat. ib. I, 12, 17. (W. 108. R. 124.)

120. *Servium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos parvulos in contione produxerat, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est.* Quintil. II, 15, 8. (R. 125.)

Incertae sedis.

121. [ob im]mensam ti[midatem et socordiam causa erat] ne quid neg[oti publici .... gere]retur. Cato [Originum l.] VII ap. Fest. v. socordia p. 293. (W. 112. R. 119.)

122. Jurum legumque cultores. Cato Originum VII ap. Charis. I, p. 93 et iterum p. 135. (W. 109. R. 117.)

---

113) Unus tantum Scioppii Cod. et ex eo edd. vett. libro tertio.

114) Cod. ars inhaeret diadema, unde conjectura auri inh. d.; Scaliger: arsinea rete diad., unde ego arsinea et d. — Cod. ruscea facile galbeos. Multae sunt aliorum conjectt. Mihi verba lineas pelles sana non videntur.

115) Locus Servianus deest in codd. nonn.

116) cj. Müller, cod. alutaciniatos, unde multae conject.: alutatos, alutacinatos, alluminatos, uncinatos, lunulatos.

118) alii: rem publicam agier.

Incertorum Originum librorum reliquiae.

123. *Solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* Cato in Originibus ap. Cic. Tusc. I, 2, 3. et Brut. 19, 75. — *Morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes.* Cato in Originibus ib. IV, 2, 3. (W. 120. R. I, 5.)

124. Eodem convenae complures ex agro accessitavere. Eo res eorum auxit. Cato in Originibus ap. Gell. XVIII, 12, 8. (W. I, 19. R. I, 22.)

125. Ne praedia in lubricum dirigerentur, cum tributus exigeretur. Cato Originum libris ap. Non. v. tributum p. 156. (W. 117. R. VII ? 118.)

126. *Omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui unius cujusque facta descripserint.* Cato historicus ap. Vopisc. Prob. 1. (R. I, 6.)

127. Si ques sint populi. Cato in originibus ap. Serv. Aen. I, 95. (W. 113. R. I, 4.)

128. *Graecorum clypei rotundi.* Cato Originum † ap. Serv. Aen. III, 637. (R. V. 99.)

129. *Lavius boves immolatus priusquam caederentur profugisse in Siciliam.* Cato in Originibus ibid. X, 541. (W. III, 69. R. I, 9.)

130. Alae ex lupino lugium ..... Cato in originibus ap. Serv. Georg I, 75. (W. 118. R. VI ? 109.)

131. Orator an terminum. Cato in originibus ap. Macrob. I, 14, 5. (R. I, 21.)

132. Ambire. ibid.

133. Glis. Cato in Originibus ap. Charis. I. p. 90 et 131. (R. VI ? 110.)

134. Biber. ib. p. 124.

135. Dotes filiabus suis non dant. Cato in originibus ap. Priscian. VII, 3, 10. (W. 116. R. VII, 122.)

2. Quae solo nomine Catonis feruntur, prorsus incerta.

Praeter has reliquias, quae aut certis veterum testimoniis Originum libris assignantur aut ita sunt comparatae, ut sine ulla dubitatione Originibus possint inseri, satis magnus restat numerus, in quo dijudicari nequeat, utrum ex originibus sint necne. Maxima quidem ex parte ad orationes aut alia Catonis scripta referendae videntur, sed sunt etiam, quae Originum fuisse videantur, veluti c, g, r, ll, nn, oo, praesertim quum tam varia sit in Originibus materia. Attamen certe h. l. omittenda erant, quae scripsit de majoribus suis ap. Plut. Cato 1. 1, de re familiari, ib. 4, 3 et 21, 5, de filio edu-

128) Deest locus in codd. nom. **Praeterea adscriptus erat libri numerus, ut docet genetivus.** (cf. ad frg. 16) Roth ad lib. V retulit, sed poterat etiam esse ex I aut III.

129) Alii: et Laniis. Locus omnino desperatus.

130) fortasse legumen.

131) Oratorum an terminum codd.; Orator an term. edd. pleraeque. Jan cj. **Arator et refert ad** frg. 27. Sed in tali re vix judicaverim aut emendaverim.

cando 20, 4 sq. et 27, 7 sq.; etiam locus de philosophis Graecis ib. 23, 1 ex oratione illa esse videtur, quam non est, cur Originibus inclusam fuisse putemus. — In hisce igitur fragmentis colligendis ita versatus sum, ut primum singula verba componerem addito si certo alicui loco Catoniano certo assignantur testimonio. Deinde sententias collegi et indicavi, quae a Rothio aliisve (nam Wagener satis caute egit, reliqui, ut supra diximus, plerumque nimis caute) Originum reliquiis insertae sint.

Ex Varrone: Solui. L. L. IX, 107 Mul., accensos ib. VII, 58. — Ex Paulo Diac.: Audaciae, aliorsum, illorsum, introrsum, aeribus (in orat. *ut plura aera equestria fierent.* cf. Prisc. VII, 8, 38, Charis. I, p. 121) p. 27. cloacale flumen. p. 59. futare. p. 89. ferocit, fivere, fruniscor, frunitus, felices et infelices arbores. p. 92. latitaverunt. p. 121. mihipte. p. 152. Veterina bestia, ferentarii, (de re milit. ap. Non. p. 381.) p. 369. Uls, ungulatrus, verberitare, vopte p. 379. — Ex Festo: Moscillis. p. 158. pro scapulis. p. 234. Papisios. p. 242. pecuum (cf. frg. 101) p. 246. reeipie. p. 286. — Ex Quintiliano: dicam et faciam, dicem et faciem. I, 7, 23. tuburchinabundus et lurchinabundus. I, 6, 42. diee hanc. IX, 4, 39. — Ex Gellio: Disciplinosus (de re milit. ap. Non. p. 381), consiliosus, victoriosus IV, 9, 12. pluria et compluria. V, 26, 6. novissimus et novissime. X, 21, 2. mortualia. XVIII, 7, 3. praeterpropter. XIX, 10, 10. — Ex Charisio: Jugeris. I, p. 134. Rare, rarenter. II, p. 217. secunde. II, p. 220. — Ex Sergio: Circumcirca. Ars Donat. p. 1855. P.

Ex Cicerone. a. *Multa auguria, multa auspicia negligentia collegii amissa plane et deserta.* Cato queritur de Divin. I, 15, 28. (R. I, 7.) Ex oratione de auguribus (Meyer oratt. Rom. fragm. nr. 69) mihi quidem esse videtur.

b. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui *mirari se ajebat, quod non rideret haruspex haruspicem cum videret.* ib. II, 24, 15. (Krause p. 123). Ex eadem oratione aut ex apophthegm. (Cic. de off. I, 29.)

c. Cato senex dicere solebat *ob hanc caussam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, quorum suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis suis, ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Lycurgus, Atheniensium, quae persaepe mutata esset, tum Theseus, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii, postremo exsanguem jam et jacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius; nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut quem res nulla fugeret quisquam aliquando fuisset, neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate.* De republ. II, 1. *Nec temporis unius nec hominis esse constitutionem rei publicae.* ib. 21. (Krause. p. 124 comparato frg. 79.) Ter Cicero dicere ea solitum esse Catonem narrat, neque quisquam ad Origines

referret, nisi priore loco addidisset: ***Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi originem.***

Ex Varrone: d. In Italia (Insalita cj. Popma) in scrobes (al. Insubrei) terna atque quaterna millia aulia (al. Gallia, Popm. Galli) succidia. Vere (al. succidia habere.) Sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi usquam. Itaque eas si quis quo trajicere vult, in plostrum imponit. R. R. II, 4, 11. (R. VI, 111). Ne hoc quidem frg. plane alienum est ab originibus. (cf. frg. 13.)

ex Festo: e. Meritavere, saepe merue(re dixit Cato ...., Po)enorum IIII Suf(fetes evocaverunt statim om)nis cohortes, omnis (etiam qui stipendia merit)averunt. v. Meritavere p. 154. (R. IV, 80). Ex Catone esse petitum frgm. docet Paulus p. 152 v. meritavere. Nolo h. l. monere non recte expletam esse lacunam, quod praescripsit Festus meritavere, non meritaverunt. Sed notandum est, multa post nomen Catonis deesse, quae nemo addere ausus est, nec ita res est comparata, ut inde aut novum Catonis opus aut novam Originum inscriptionem ponere possis; ac si quis in numero haeret, quod reliqua Catonis opera in plures libros distributa non videantur, videat, ne etiam duodecimum Originum librum nobis donet ex eodem Festo v. struere p. 313. (cf. frg. i.)

f. Et quis diceret cum sit (neminis) v. neminis p. 162. Recte antea est additum nomen Catonis, quamquam aliud in eadem re Catonis exemplum laudat Paulus. (frg. p.)

g. (Numidae di)cuntur Noma(des, qui diutius vivere dicuntur) unde Cato in (.......... Numidas vivaces, quod) multam vivunt (aetatem dixit). v. Numidae p. 177. Plane incertum frg.

h. (*Posime*)rium esse ait Antistius (***in commentario juris Pontifi***)calis pomerium, id est l(***ocum pro muro ut ait***) Cato. v. Posimerium p. 249. (R. I, 21.) Recte monet Wagener, ne nomen quidem Catonis inesse videri, sed scriptum fuisse AVSPICATO vel simile quid.

i. Jure, lege, libertate, Rep. communiter uti oportet: gloria atque honore quomodo sibi quisque struxit. v. struere p. 313. Quae sequuntur Catoniana non sunt. (cf. frg. e.)

Ex Paulo: k. Caduceatori nemo homo nocet. p. 47.

l. Culignam in feno Graeco ponito, ut bene oleat. p. 51.

m. Coepiam seditiosa verba loqui. p. 59.

n. Contumelias mihi dixisti compluriens. ib.

o. Aedificium aestate frigidum, hieme formidum. p. 83.

p. Sunt multi corde, quos non miseret neminis. p. 163. Hoc frg. Ennianum videtur. (cf. Fest. v. neminis. p. 162. frg. f.)

q. Vecticulariam vitam vivere, repente largiter habere, repente nihil. p. 378.

r. Praeda, quae capta est, viritim divisa. ib.

Ex Senecis: s. Quod tibi deest, ex te ipso mutuare. de benef. V, 7.

t. Antipodes, qui nec orientem unquam solem viderunt nec occidentem. Epp. 122.

u. Videor mihi in somnis laborare. Exc. Contr. III, p. 427. Gronov.

Ex Plinio N. H: v. *Ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent.* XIV, 13, 90. (R. VII, 116.)

Ex Plutarcho: w. *φησὶ γὰρ αὐτὸς (ὁ Κάτων) ἑπτακαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν, περὶ ὃν Ἀννίβας χρόνον εὐτυχῶν ἐπέφλεγε τὴν Ἰταλίαν.* Cato I, 6.

x. *Αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κάτων πλείονας εἰληφέναι πόλεις, ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ.* ib. 10, 3.

y. *Εἰς δὲ αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει, πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε· καὶ οὐκ αἰτιῶμαι, φησί, τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις, ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας.* ib. 4.

z. *Φησὶ τοῖς ἰδοῦσιν αὐτὸν τότε διώκοντα καὶ καίοντα τοὺς πολεμίους παραστῆναι μηδὲν ὀφείλειν Κάτωνα τῷ δήμῳ τοσοῦτον, ὅσον Κάτωνι τὸν δῆμον, αὐτόν τε Μάνιον τὸν ὕπατον θερμὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔτι θερμῷ περιπλακέντα πολὺν χρόνον ἀσπάζεσθαι καὶ βοᾶν ὑπὸ χαρᾶς, ὡς οὔτ' ἂν αὐτὸς οὔθ' ὁ σύμπας δῆμος ἐξισώσειε τὰς ἀμοιβὰς ταῖς Κάτωνος εὐεργεσίαις.* ib. 14, 3. (Krause p. 124.)

aa. *Μέμνηται μὲν αὐτοῦ (τοῦ πρεσβυτέρου υἱοῦ) πολλάκις ἐν τοῖς βιβλίοις ὁ Κάτων, ὡς ἀνδρὸς ἀγαθοῦ γεγονότος.* ib. 24, 6.

bb. *Διὰ τί τοὺς παραγγέλλοντας ἄρχειν ἔθος ἐν ἱματίῳ τοῦτο ποιεῖν, ὡς Κάτων ἱστόρηκε;* Qu. Rom. 49. (R. VII, 113.)

ex Gellio: cc. Faenoribus copertus est. II, 17, 7.

ex Charisio: dd. *Et in Italia atras capras lacte album habere.* I, p. 20. (R. II, 58.) Certe ex apophthg.

ee. Malitiose istorum juratorum ..... verto, ut .... quod. II, p. 206.

ff. Suapte natio sua separata seorsum. p. 219.

gg. Taetre aetatem exigit. p. 221.

ex Serv. Aen.: hh. *Et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui.* I, 726. (R. VI ?, 108.)

ii. *Deposita veste purpurea feminas usas caerulea, quum lugerent.* III, 64. (R. VII, 114.)

kk. *Verba tertiato et quartato quemquam dicere prae metu.* ib. 314.

ll. Qua mollissimum est, adoriuntur. ib. 293.

mm. Sedere non potest in equo trepidante. IV, 121.

nn. Sub tela volantia. VIII, 694.

Ex Prisciano: oo. Quod iter longius arduiusque erat a curia. VIII, 1, 18.

pp. Qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas. VI, 7, 36 et iterum 16, 82 Altero loco laudatur originum lib. II in edd., sed deest in codd. (W. II, 58. R. II, 40.)

qq. Speca prosita, quo aqua devia abiret. VI, 14, 75.

Ex Isidoro: rr. Malum deligatum, parastatae vinctae. Origg. XIX, 2, 11.

ss. Tu si verum supprimis, falsarius agnosceris, si falsa confingis, mendax esse videris. de different. n. 220.

3. Loci falso Originibus inserti.

Non ea hoc loco colligere in animo mihi est, quae mediis fragmentis mira temeritate inculcata sunt, veluti Serv. Aen. VII, 678 aut IX, 603 ap. Lionem p. 34, sed ea, quae falsa aut emendatione aut interpretatione et credulitate hominum Originibus sunt adscripta.

Libro I. *α.* .... dicit, Latinum ex Ulixe et Circe editum de nomine sororis suae mortuae Romen civitatem appellasse. Serv. Aen. 1, 273. (Krause p. 99.) Lacunam codd. satis stulte explet Burmann *Cato in originibus*. Repugnat enim locus certis libri I fragmentis.

β. Suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium; cumque Aeneas ibi urbem condere constituisset propterque agri sterilitatem metueret, per quietem ei visae Deorum Penatium simulacra adhortantium, ut perseveraret in condenda urbe, quam coeperat; nam post annos totidem, quot foetus illius suis essent, Trojanos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos et urbem clarissimi nominis in Italia condituros. — Igitur Latinum, Aboriginum regem, quum ei esset nuntiatum, multitudinem advenarum classe advectam occupasse agrum Laurentem, adversum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas copias eduxisse, ac priusquam signum dimicandi daret, animadvertisse Trojanos militariter instructos, quum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quae eis integumenta erant, sinistris manibus involutis processissent. Itaque suspenso certamine per colloquium inquisito, qui essent, quidve peterent, (utpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur; namque extis ac somniis saepe admonitus erat, tutiorem se adversus hostes fore, si copias suas cum advenis conjunxisset) quumque cognovisset, Aeneam et Anchisem bello patria pulsos cum simulacris deorum errantes sedem quaerere, amicitiam foedere iniisse, dato invicem jure jurando, ut communes quoque hostes amicosve haberent. Itaque coeptum a Trojanis muniri locum, quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini regis filiae, quae jam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At vero Amatam, Latini regis uxorem, quum indigne ferret, Laviniam, repudiato Turno consobrino suo, Trojano advenae collocatam, Turnum ad arma concitasse eumque mox coacto Rutulorum exercitu tetendisse in agrum Laurentem et adversus eum Latinum pariter cum Aenea progressum inter proeliantes circumventum occisumque. Cato in origine generis Romani ap. Pseudo-Victorem Orig. gent. Rom. 12, 5—13, 6. (R. I, 15.) Nolumus h. l. quaestionem expedire

de auctoritate Auctoris Originis G. R. Admodum pauci sunt in eoque numero Krause et Roth, qui veterem eum esse scriptorem asseverent. cf. eum, qui nuperrime de hac re scripsit H. Rotter de auctore libelli de Orig. G. R. Cottbus 1858, alios vide ap. Schwegler H. R. I, p. 117, ann. 11. Ceterum quae h. l. narrantur, etiam a Catone narrata esse poterant, quippe quae vulgata essent apud Romanos, quamquam verisimile non est omisisse Catonis epitomatorem frg. 18. Praeterea nemo unquam originem generis Romani appellavit Origines.

γ. Igitur Latini Ascanium ob insignem virtutem non solum Jove ortum crediderunt, sed etiam per diminutionem, declinato paululum nomine, primo Jobam, dein postea Julum appellarunt, a quo Julia familia manavit. Cato in Originibus ib. 15, 5. (R. I, 18.) Haec certe nec Cato nec ullus Romanus aetatis Catonianae scribere poterat.

Ex libro III. *δ. Πρὶν δὲ ὑπὸ Περσῶν ἀφανισθῆναι* (*Διὸς πόλιν, τὴν τῆς Αἰγυπτίας Θηβαΐδος*), *φησὶ Μανέθων, ὅτι μυρίας τρισχιλίας κώμας εἶχε καὶ τριάκοντα, ἀνθρώπων δὲ μυριάδας ἑπτακοσίας, ἀρουρῶν δὲ τόπον μεμετρημένον τρισχιλίων καὶ ἑπτακοσίων, ἑκατὸν δὲ πύλας διακεκοσμημένας, τετρακόσια στάδια τὸ μῆκος.* Stephan. Byz. v. *Διὸς πόλις*. Sciendum enim in Codd. non inesse Manethonis nomen, quod conjecit J. Bernays ad Schol. Venet. Il. IX, 383, ubi idem est locus, sed Catonis; Westermann mutandum censet nomen in Bato, Roth (frg. III, 72) uncis inclusum apposuit nomen Hecataei.

Ex libro IV. *ε*. Poëta nomina mutat. Nam Sychaeus Sicharbas dictus est, Belus, Didonis pater, Methres, Carthago Carthada, ut lectum est et in historia Poenorum et in Livio. Serv. Aen. I, 343. (R. IV, 80). In nominibus magna est codd. discrepantia.

ζ. Jopas, rex Afrorum, unus de procis Didonis, ut Punica testatur historia. id. I, 738 (R. ib.) — Mirum est, quod etiam haec frgg. in Origines relata sunt. Ambo loci ita sunt comparati, ut etiamsi ea, quae supra de frg. e disputavimus, non probes, tamen e Catonis libro quodam sumti esse non possint. Ne certum quidem librum veluti Jubae aliusve Servius significasse videtur, sed nullo auctore adhibito ex historia Punica rem repetiisse. Erant sane eae res etiam Catoni notissimae. cf. Solin. 27, 10. Ac quis sibi persuaserit, quum sexcenties Origines laudatae essent apud Servium, subito duobus his locis alia scriptorem usum esse inscriptione. Quod quum intellexisset Meyer frgg. Orat. Rom. p. 56, singularem librum de historia Poenorum composuisse Catonem existimavit, sed nemini rem comprobavit. (cf. Krause. p. 97 et 133. Duebner ad Meyeri frg. p. 160).

η. Aures nobis calliscerunt ad injurias; habeat, alium quaestum coepiat. Cato de bello Carthaginiensi ap. Non v. calliscerunt p. 63. (Krause p. 113). Ex oratione de bello Carthaginiensi. cf. Gell. IX, 14, 10.

ϑ. M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit: homines defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt: ita interfecerunt. Gell. III, 14, 19, (R. IV, 84.) Qui haec ex Originibus esse putarunt, non recte perspexisse videntur rationem veterum grammaticorum, qui quum usum singularum vocum explicant, ad r e s a scriptoribus narratas nunquam

respiciunt, librorum inscriptiones saepe addunt. Itaque dubium non est, quin h. l. Gellius minus accurate de Carthaginiensibus scripserit, quum dicere debebat de bello Carthaginiensi. Subjectum quid esset, legentes certe docere noluit.

Ex libro V. ι. M. Cato in (*Orig. l. V. scripsit: Audito tu*) multu Macedoniae Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari atque factiones esse. Fest. v. Natinatio p. 166. (W. V, 86. R. V, 94.) Quae uncis inclusimus, interpolatione addidit Mueller. Attamen non recte ita interpolasse videtur vir doctissimus. Ubi a Festo citantur origines semel v. Oratores p. 182 addita est praepositio in, verbum scripsit aut simile numquam. Est ex oratione nescio qua, cujus inscriptione addita facile expletur major haec lacuna.

κ. Cato docuit, orator idem et imperator summus: ...... Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem temptabam, quid facere possent; proeliis levibus spectabam, cujus modi quisque esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem vellent facere atque in contione verbis multis laudabam. Interim aliquot pauca castra feci. Sed ubi anni tempus venit, castra hiberna ..... Fronto ad Verum p. 184 Rom. (R. V, 97.) Prima Frontonis verba docent, non Catonis historici, sed oratoris haec esse. Mihi quidem ex oratione ad populum de triumpho esse videntur. (Priscian. III, 1, p. 87.)

Ex libro VII. λ. Utrinde Cato pro Hispanis (cod. Bob. Lusitanis) de frumento, utrubi bona, utrubi mala gratia capiatur, utrinde iram, utrinde factiones tibi pares. Charis. II, p. 224. (Lion p. 29). Sunt haec verba ex oratione in P. Furium Philum. (cf. Meyer p. 46.) Sed nec hanc orationem nec eam, quam habuit Cato ad milites contra Galbam, ut censet idem Lion l. l., Originibus inseruit Cato.

μ. *Ὡς χαλεπόν ἐστιν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα ἀνθρώποις, ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι.* Plut. Cato 15, 4. (Krause p. 118.) Accuratius loco Plutarchi inspecto facile intelligere debebat Krause, non ex oratione in Galbam hanc esse sententiam, sed fuisse *ἐν τῇ τελευταίᾳ, ἣν ἔφυγε, δίκῃ.*

III.

1. Proximum est, ut rationem reddam atque explicem, quod consilium in hisce reliquiis digerendis secutus sim. Qua in re notandum est testimonia veterum de rebus in Originibus perscriptis — nam de dicendi genere disputare in animo non est — admodum esse pauca eaque ad eas tantummodo res spectare, quas de Italia Cato narrasse videtur. Dicit enim Fronto princip. hist. 9, p. 252: *Catonem oppidatim statuis esse ornandum, qui primam Latini nominis subolem et Italicarum originum pueritias illustrasset* eundemque in Originibus tradit Servius Aen. VII, 678 *de Italicis urbibus plenissime scripsisse* et IX, 603 *Italiae vitam et disciplinam commemorasse;* queritur denique Solinus 2, 2 quo loco de Italia scripsit, *tanta cura omnibus eam esse dictam praecipue M. Catoni, ut jam inveniri non posset, quod non veterum auctorum praesumsisset diligentia.* Ad haec accedit summarium illud, cujus saepius jam mentionem

fecimus, apud Cornelium Nepotem Cato 3, 3—5. Atque de reliquorum imperatorum vitis quum aliae aliorum etiam nunc sint sententiae, in eo consentiunt fere omnes (cf. Nipperdey Praef. p. XXXVIII), nihil esse, cur Catonis hanc vitam ab ipso Nepote scriptam esse negemus. Cui sententiae si qui etiam contra codicum auctoritatem dubitent subscribere, eorum opiniones minuere jam non in animo mihi est. — At multa insunt in reliquis vitis, quae falso esse narrata inter omnes constat. Sed quum, ut ipse dicit, *separatim librum de Catone fecisset rogatu T. Pomponii Attici* intelligentis earum rerum doctique existimatoris, quis est, qui censeat scriptorem *rerum memoriae non indiligentem* (Gell. XV, 28, 1) opus clarissimum Catonis, quod ea aetate vel puerorum erat in manibus, aut non lectitasse aut summam ex eo excerpere non potuisse. Quoniam igitur summarium illud in dubitationem vocari non potest, quaerendum videtur, num loci Originum a veteribus scriptoribus citati iique, quos libri numero non addito ex conjectura singulis libris adscripsi, Cornelio Nepoti repugnent. Ceterum mirus in tanta numerorum multitudine est codicum consensus et si quae est scripturae discrepantia, optimorum nos librorum auctoritatem secuti deteriorum lectiones diligenter adscripsimus. Itaque locus Nepotis integer transscribendus singulaeque incisiones atque membra accurate examinanda videntur.

2. *Senex historias scribere instituit. Earum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum primum, in quinto secundum — atque haec omnia capitulatim sunt dicta — reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quae in Italia (?) Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina.**)

3. Senex historias scribere instituit. Quod historias appellat Nepos Origines, de ea re disseremus, ubi de inscriptione operis disputabimus. Quaeritur igitur, quo tempore Origines scriptae esse videantur. Cicero Brut. 23, 89 Catonem retulisse scribit orationem in Galbam habitam in origines suas, *paucis antequam mortuus esset diebus an mensibus.* Etiam de senect. 11, 37 inducit Catonem docentem, septimum se tum Originum librum in manibus habere et quoniam colloquium illud habitum fingit Cicero T. Quintio Flaminino M' Acilio Balbo coss. anno a. u. c. sexcentesimo quarto (ib. 5, 14),

*) Librum quem scripsit Sixma van Heemfra de Nepotis vita Catonis Lugdun. Bat. 1825 mihi parare non potui. Quae praeterea de hac vita, quae non est in editione principe, sunt disputata, h. l. licet praetermittere. — Regum P. R.: prima vox deest ap. Pighium. — In quarto autem est b. P. Vossiani A et C., b. P. est prim. Guelf. — Atque haec omnia cap. s. d. uncis inclusit Heusinger. — Reliqua, edd. nonn. — Quae in Gallia, Klotz. — aut fierent aut, ex cod. Guelf. add. Nipperdey et Roth. — nulla doctrina, Vossiani A. et C. prob. Nipperdey. — De interpunctione a me mutata cf. infra III, 7.

quum quartum et octogesimum annum ageret Cato (ib. 10, 32) — nam qui de anno natali aliter tradiderunt, Liv. XXXIX, 40, Plut. C. 15, falluntur, cf. Drumann V, p. 98 — de ultimo libro recte se habet id, quod tradit Nepos. Sed instituendi verbo ne Nepos quidem usus esset, nisi omnino senex ad Origines scribendas se contulisset Cato. Ad quam rem comprobandam non multum proficitur frg. 55, ex quo apparet, secundum librum post bellum Persae esse scriptum. Sed jam hoc testimonio efficitur, ut duo loci refellantur, quos ad infringendam Nepotis fidem olim afferebant. Quorum locorum alter est Livii XXXIV, 5, qui L. Valerium adversus Catonem consulem facit revolventem Origines, (frg. 31), alter Plutarchi Cat. 20, 5 *καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχοι, τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι.* Notandum enim est, Plutarchum Origines appellare *ἱστορίας* (ib. 25, 1.) Describit Plutarchus curam, quam posuit Cato in educando Marco filio majore, quem sustulerat ex Licinia natum. Is prima stipendia meruit in exercitu M. Popilii Laenatis cos. anno quingentisimo octogesimo primo, ut testatur Cicero sive vetus quidam interpres de off. I, 11, 36; mortuus est anno sexcentesimo secundo in praetura (Liv. ep. XLVIII) sive praetor designatus. (Cic. Tusc. III, 28, 70, Gell. XIII, 20, 9.) Quodsi suo anno praetor factus est ex lege Villia annali anno quingentesimo sexagesimo secundo natus est, qui annus etiam comprobatur primo, quod meruit, stipendio. Si in hujus filii usum conscripsisset primum Originum librum, nam secundus, ut supra demonstravimus, multo post scriptus est, certe Valerius tribunus ne hunc quidem librum revolvere poterat. Sed falli videntur, qui historias in filii usum scriptas putant primum Originum fuisse librum, ut Bolhuis et Wilms (Catonis vita et frgg. Progr. Tremon. II (1843) p. 9 sq.) quod nec erat aptus liber ad captum puerilem et vix credi potest retractasse Catonem opus per tot annos intermissum. Praescribere solebat filio non inutiles pueris sententias, quod nunc saepenumero fit, sed res gestas populi Romani. Sed haud scio an tempus, quo Origines inchoasse videatur, accuratius possit definiri. Originum ne primus quidem liber, nedum reliqui scribi poterant, nisi ab homine accurata Graecarum literarum cognitione instructo. Concedimus quidem facile iis, qui multi erant in demonstrando, Graecae linguae jam adolescentem Catonem habuisse scientiam, sed aliud est scientiam habere linguae Graecae, aliud studiosum esse Graecarum literarum. Harum autem *aetate demum declinata* (Quintilian. XII, II, 23) studiosus erat Cato, qui quum anno quingentesimo nonagesimo nono Graecos illos philosophos expellendos censeret, non Carneadis flagrabat aut philosophiae odio, sed *πᾶσαν Ἑλληνικὴν μοῦσαν καὶ παιδείαν* respuebat (Plut. l. l. 23, 1) et *πόρρω παντάπασιν ἡλικίας Ἑλληνικὰ βιβλία ἔλαβεν εἰς χεῖρας* (ib. 2, 4). Quodsi quaerimus, quibus rebus factum sit, ut vir alioquin omnium constantissimus in ipsa senectute, quae aetas esse solet rigidissima, opinionem per totam fere vitam acriter defensam abjiceret studiumque atque voluntatem mutaret, difficile videtur dictu, utrum consilio Originum scribendarum capto ad studium literarum Graecarum an studio lite-

rarum Graecarum ad Origines scribendas sit incitatus. Mihi quidem dubium non videtur, quin extremis demum vitae quatuor quinqueve annis Origines conscripserit Cato.

4. Sunt libri septem. Item res comprobatur reliquiis; nam quod olim laudabatur fragmentum ex libro octavo a Nonio v. pisculentum (frg. 112), jam pridem ex codicum auctoritate septimo libro est adscriptum. Itaque praetermittere possemus hanc rem, nisi Ludovicus Lersch (Röm. Diorth. in Mus. der rhein.-westph. Schulmänner III (1845), 3, p. 233—35) ad eam opinionem devenisset, ut non ipsum Catonem, sed Octavium Lampadionem Origines in septem libros divisisse putaret. Certe non fugit virum doctum locus ille Ciceronis, quo loco septimum Originum librum in manibus habentem inducit Catonem, sed ita explicat, ut oblitum fuisse putet Ciceronem, non ipsum Catonem, sed Lampadionem ita distribuisse opus. Utitur autem Lersch argumentis quinque, primum loco mutilato Frontonis epp. ad Anton. Pium X, p. 25, quem non recte adhiberi docebimus, ubi de Statilio Maximo disseremus. Deinde morem in plures libros dividendi Graecum fuisse eumque alienum a Catone affirmat, sed nos supra demonstravimus, non alienum fuisse Catonem a Graeca doctrina, quum Origines conscriberet. Tum contendit ineptam esse Originum inscriptionem, nisi unico volumine et continenti scriptura, ut est apud Suetonium, res exposuisset Cato. Subtilius, quam verius excogitatum, praesertim quum, id quod infra me spero comprobaturum, non modo primis libris, sed omnibus apta sit ea inscriptio. Quartum argumentum gravissimum videtur. Recte enim Fridericus Ritschl (Rh. Mus. VI, p. 29) contendit, opera in plures libros divisa numquam a bonis grammaticis singulariter, ut dicunt, citari, id quod in Originibus bis factum est a Varrone (frg. 13 et 54), sed recte objicit Wagener, textum, quem vocant, Varronis nondum ita esse comparatum, ut inde argumentari liceat. Quod denique numerus septenarius in suspicionem venit viro docto, (constat sane et alios libros et Naevii bellum Punicum a grammaticis et ipso C. Octavio Lampadione — Suet. de ill. gramm. 2, Santra ap. Non. v. septemfariam p. 116 — septemfariam esse divisos) videat, quid de Caesaris commentariis de bello Gallico aliisque operibus septemfariam divisis judicandum videatur. De Originibus me comprobaturum spero, quum duobus libris contineantur origines civitatum Italicarum, nec majorem nec minorem esse potuisse librorum numerum. Non igitur est, quod etiam locum de sen. 11, 37 erroribus Ciceronianis adnumeremus.

5. Primus liber continet res gestas regum populi Romani. Perlustrantibus nobis reliquias, quas aut auctoritate veterum scriptorum aut nostra conjectura in primum librum retulimus, facile apparet tripartitum eum fuisse. In principio erat praefatio (frg. 1—4). Negat Wagener perspicuum esse, quomodo hae sententiae inter se cohaereant. Mihi quidem res sane non ita comparata videtur, ut pro certo affirmari possit, quomodo necessario conjunctae fuerint, dissociabiles autem non sunt. Quodsi ex quatuor his fragmentis liceat conjecturam facere, scripsisse videtur Cato fere haec: *Si qui homines sunt, quos delectat populi res gestas scribere*, eorum ego quidem non improbo studium,

quamquam animi voluptatisque causa exercentur; nam *nihil agendo homines male agere discunt*. Nec unquam vir vere magnus desidia atque socordia ingenium torpescere passus est; quin etiam *Scipio Africanus dicere solebat, numquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus, nec minus solum, quam quum solus esset.* Verum ego non delectationis causa ad scribendum me contuli, sed ut *rationem redderem* civibus *otii. Clarorum enim virorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportet.* Mihi quidem satis idoneum Catoneque dignum videtur tale exordium, praesertim quum ea aetate Origines scripsisse videatur, qua ei per senectutem jam non liceret res publicas tractare. (cf. frg. 118.) Roth etiam alia in praefatione exposuisse Catonem existimat, veluti de fontibus suis (frg. 123), de auctoritate historicorum (frg. 126), in universum de historia scribenda (frg. a) aliaque (frg. 41), sed haec mihi ab aetate Catoniana aliena videntur, praesertim quum frg. 113 et 126 de quovis rege aut duce dicta esse possint. — Altera pars continet ea, quae ante Romam conditam in illis locis gesta sunt (frg. 5—24). Ipsa iterum est quadripartita, nam primus locus est de Aboriginibus (frg. 5—7), alter de Sabinis (frg. 8 et 9), tertius de Tuscis (frg. 10—16), quartus de Latinis vel potius de Aenea atque Aeneadis. Jam demonstraturus, quibus in fragmentis ab ordine Wageneriano et Rothiano recedendum esse censuerim, in singulis cujusque loci fragmentis non morabor. Nihil enim hoc habet momenti neque fugiet eum, qui accuratius res comparaverit, quid in hac re secutus sim. Atque de primo loco consentiunt omnes, nisi quod frg. 5 Wagener de Phrygibus dictum putat, ego cum Rothio de Aboriginibus; utrumque licere facile apparebit. Reliquorum autem rationem ut reddam proficiscendum videtur a Tuscis. De Pisanis in primo libro accurate egit Cato (frg. 16; Roth sane contra codicum auctoritatem secundo libro inserit fragmentum), quod fieri non potuit, nisi res Tuscorum in primo libro enarrasset. Ne Aeneae quidem res gestas narrare poterat, nisi praemissa Tuscorum historia. (frg. 10.) Jam optio datur, utrum, id quod nunc homines docti facere solent, Catonem fecisse suspicari malimus, ut initio res Tuscorum perscriberet, an ubicunque in rebus regum Romanorum Tuscum oppidum commemorandum erat, substitisse et originem ejus oppidi atque omnia, quae in ea regione admiranda viderentur, veluti saltus caprarum (frg. 13) plenissime explicasse, vix ut ipse meminisse posset, quo loco res Romanorum deseruisset; quaeritur utrum unum quasi corpus Etruriae expressisse, an per totum opus Tuscorum membra dispersisse putandus sit Cato. Accedit, quod alterum frg. certo libri numero signatum (frg. 11) item ex primo est libro. Commemoratur quidem quasi in transitu Capena in Tulli regis rebus gestis (Liv. I, 30, 5), sed non ita, ut ea opportunitate oblata ad hanc descriptionem (frg. 11—13) delatus videri possit Cato. Quodsi Etruriam in primo libro descripsit, dubium videri non potest, quin etiam ea, quae de Sabinis tradidit, similiter operi inseruerit, praesertim quum arctissime cum Aboriginibus conjuncta sint. (cf. frg. 8.) Itaque secundo loco posui fragmenta, quae sunt de Sabinis. De quarto loco non est, quod addam, nisi frg. 24, quod est de monte Albano, ab Rothio

ad eum locum relatum esse, quo Latium describitur. Restat tertia pars, quae continet ipsius urbis originem atque res regum Romanorum. (frg. 25—36.) In his rebus minime obscuris pauca sunt, quae minus recte mihi collocata videantur. Ac primum quidem Antemnas (frg. 30) Roth ad Aboriginum res retulit. Aborigines quidem eo oppido potiti esse dicuntur (Dionys. II, p. 103), sed ipsum frg. docet, quo referendum sit; nam quum de Aboriginibus scriberet Cato, asseverare certe non poterat, antiquius esse oppidum, quam Romam; recte autem exposuit, quid de Antemnis compertum haberet, quum narraret bellum, quo bello Antemnae agro Romano adjunctae sunt. Pari modo de Politorio erit judicandum. (cf. Liv. I, 33, 3). Videtur igitur Cato earum civitatum origines in primo scripsisse libro, quae a regibus in Romanorum ditionem redactae sunt. — Jam de frg. 36 disputandum erit. De omni Tusculana civitate solius Lucii Mamilii beneficium gratum fuit. Unus commemoratur L u c i u s Mamilius, dictator Tusculanus, qui occupato ab Herdonio Capitolio Romanis ultro auxilium tulit. (Liv. III, 18, Dionys. X, p. 642.) Hujus L. Mamilii beneficium Catonem significasse putat Popma. Attamen quod id beneficium in primo libro commemorari omnino non potuit, Bolhuis, quamquam in numero apud Priscianum nulla est codicum discrepantia, temere numerum mutandum esse censuit. Verum Mamilius alius esse non potest, nisi gener Tarquinii Superbi, Octavius Mamilius, cujus praenomen veteres (Dionys. V, p. 293, Liv. I, 49, II, 15, (Mamilius Octavius) 18, 19, Cic. N. D. II, 6, ad Attic. X, 10, 3) non adscripserunt. Quod hujus viri beneficium cui gratum fuerit, ex ipso fragmento non apparet, sed quum multis inter se mutuisque beneficiis socerum generumque conjunctos fuisse verisimile est, tum notum est illud beneficium, quo absenti Tarquinio regi infensos principum Latinorum animos reconciliaverat. (Dionys. IV, p. 247.) Quae quum ita sint, mirum est, quod Wagener (p. 8) id beneficium significatum esse censuit, quo expulsos Tarquinios affecit Mamilius. Nulla re coactus vim infert Cornelio Nepoti atque bella ad restituendos Tarquinios gesta rebus regum Romanorum adjunxisse putat Catonem, quod nemo unquam scriptor Romanus fecit. Accedit quod ipsum fragmentum repugnare videtur, quippe ex quo reliquorum Tusculanorum nullum fuisse videatur in ea re beneficium. Attamen nihil Mamilius conari poterat, nisi adjutus et aliorum et Tusculanorum copiis atque voluntatibus. Reliquum est, ut pauca addenda videantur de incertae sedis reliquiis. Consentit mecum Wagener, nisi quod frgg. 38 et 39 deteriorum codicum auctoritatem secutus adscripsit quinto libro; Roth frg. 41 ad praefationem retulit, frg. 37 ad res Tulli regis, cujus rei causa omnino est nulla. Facilius concederem frg. 40 et 42 esse ex rebus a Tarquinio Prisco gestis, (cf. Dionys. III, p. 192 et Liv. I, 37); sed in rebus tam incertis pro certo affirmare non audeo. — Jam, opinor, intelligimus, quid primo libro narraverit Cato. Insunt ea, quae etiam nunc cum rebus regum Romanorum conjungere solent homines docti atque videntur narrata, ut vulgo tradiderunt scriptores Romani. Quod autem reges *haud immerito conditores partium certe urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae*

multitudinis addiderunt, numerantur (Liv. II, 1, 2) nemo erit, quin hunc librum jure Originum prae se ferre inscriptionem concedat.

6. Secundus et tertius (liber continet) unde quaeque civitas orta sit Italica. Priusquam ad hujus libri reliquias accedimus, jam disputandum erit de consilio, quo Cato scripsisse visus sit Origines, qua in re cardo totius quaestionis versatur. Atque recte rejecto Pighii medicamento, qui primo libro non res regum Populi Romani, sed res Populi Romani narratas esse putavit, duae de ea re sententiae prolatae sunt. Altera est antiquissima et vulgata, altera recentior et paene deserta; alterius quis fuerit auctor, mihi quidem non constat, videtur autem obversata esse Riccobono, Popmae, reliquis, quantum ex sede singulis fragmentis assignata conjicere licet, recepta ab interpretibus Cornelii Nepotis, veluti a Bosio, probata a Bartholdo Niebuhr, defensa a Wagenero; altera passim prolata veluti a Carolo Blum (Einleit. in Roms alte Gesch. p. 112), Augusto Krause p. 96, C. W. Nitzsch Gracch. p. 214, sed statim rejecta est. Alteri sic rem concludunt: Quoniam in primo libro res regum Romanorum narravit Cato, in quarto reliquisque bella Punica et ea, quae postea gesta sunt, fieri non potest, quin qua fuit constantia Cato, etiam in secundo et tertio libro res Romanas inde a regibus expulsis usque ad bellum Punicum primum narrasse putandus sit, si non omnes, certe ea, quae maxime sunt memorabilia; ex serie rerum Romanarum saltem origines singularum civitatum disposuit. Arbitrantur igitur non accurate summarium secundi et tertii libri edidisse Nepotem; non mirantur mirum ludibrium fortunae, quae in pluribus quam triginta fragmentis ne unum quidem servaverit, quod ad res Romanorum sit referendum. Sed non modo non comprobatur, verum etiam refellitur haec opinio ipsis reliquiis. Niebuhr — ipsa verba transcribam viri immortalis, H. R. I, p. 9. (ed. 3) — disputavit haec: *Cato verwebte darin, (in die Geschichte seines Volkes), wie es scheint, wo die Völker Italiens und ihre Städte in der römischen Geschichte auftraten, was er über den Ursprung und die Bewegungen jener und der Städte Gründung erfahren hatte;* subjecit his verbis: *Sie hatten also, die ausgenommen, welche die Ligurer und Alpenvölker betreffen, ihren Ort theils im ersten Buche, theils in den beiden folgenden, welche die italischen Kriege enthielten.* Certe non fugit virum doctissimum finito demum bello Punico primo, primum Romanos cum Liguribus manus conseruisse. (Flor. II, 3, 4.) Nec si forte antea foedere atque amicitia conjuncti fuerint Romani cum Liguribus, ea justa Catoni causa esse poterat, cur Ligurum res narraret, quippe qui foedus Latinum non eo tempore commemoravit, quo tempore cum regibus Romanis societatem inierant Latini, sed suo loco, i. e. in libro secundo. Multo minus id in mentem venire potest, a rebus Gallicis delatum esse Catonem ad finitimos Ligures. Nam si ita vela dedisset ventis, certe prius ad ultimam Thulen, quam ad bella Punica venisset. Recte igitur Niebuhr judicat, fragmenta de Liguribus, si ex serie rerum Romanarum digeruntur origines civitatum Italicarum, in secundo et tertio libro inesse non potuisse. At insunt cf. fragm. 52

et insunt in secundo, non in tertio libro, quam rem testantur summo codices consensu, altero loco ipsum numerale, altero notam numeri exhibentes. Jam argumentis Niebuhrianis usi sic concludimus: quoniam in secundo libro scriptum erat de Liguribus, ex serie rerum Romanorum hi libri compositi esse non potuerunt. Etiam Wagener, qui multos locos, qui sunt de Liguribus, adscripsit, non indicavit, qui factum sit, ut in secundum librum res Ligurum irrepserint. De reliquis libris postea disseremus. Videmus igitur reliquias eam sententiam non modo non comprobare, verum etiam refellere. Accedit quod si quis ita scribere instituerет, certe opus deforme editurus esset atque monstrosum, quo cogerentur legentes quasi in vasto oceano pusilla passim historiae Romanae colligere naufragia atque fragmenta. — Alteri, quorum nomina supra scripsi, arbitrantur primum librum continuisse res regum Romanorum, tertium et secundum origines civitatum Italicarum, quartum bellum Punicum primum, quintum bellum Punicum secundum, sextum septimumque reliqua bella Populi Romani, secuti, ut sibi quidem videntur, summarium Nepotis. Sed quomodo origines urbium Italicarum ita conjunctae sint, ut uno eodemque opere comprehendi unaque inscriptione contineri possint, salva Catonis mente atque constantia, evidenter non ostenderunt. Quae quum ita sint, una mihi quidem via relicta esse videtur, qua res ad finem aliquem perduci possit. Contendo enim atque comprobaturum me spero, nec in secundo tertiove nec in reliquis libris infuisse historiam Romanam. Sed de reliquis libris postea disseremus, nunc secundi et tertii libri reliquiae suo quaeque loco ponendae sunt. Quum igitur ex serie rerum Romanarum collocandas esse reliquias non existimemus, nihil restat, nisi ut geographicum ordinem instituamus, et quod Ligurum mores in secundo libro, ager Rheginorum (frg. 73) in tertio describitur, facile perspicitur, in secundo libro civitates Italiae superioris, in tertio inferioris descriptas fuisse; atque consentaneum est et consequens, ut ab Alpibus incepisse librum secundum putemus; utrum a Liguribus, an a Venetis, pro certo non dijudicaverim, sed liceat conjecturam facere ex ordine, quem Plinius III, 20, 133 in recensendis populis Alpinis secutus est. Plinii ad orientem ab occidente sole procedit oratio, auctore autem in his rebus nemo est, qui dubitare possit, quin usus sit Catone. Quod autem l. l. subito inverso ordine quasi retrocedit, suspicor Catonis eum exemplo inductum quasi aberrasse. Jam videor satis mihi ordinem horum fragmentorum explicasse. Volscorum civitates ad secundum librum referendae sunt (frg. 61); a qua civitate tertius inceperit liber, non perspicitur; mihi quidem Campaniam, Samnium, magnam Graeciam tertio libro descripsisse videtur, idcirco Capuam (frg. 70) huic libro inserui, Roth secundo. Siciliam reliquasque insulas utrum in tertio, an in quarto libro descripserit, postea dijudicabimus. Sed ne quis parum aequabilem in duobus his libris rerum partitionem fuisse putet, recordabimur, Sabinos, Etruriam agrumque Romanum primo contineri libro. — De incertis libri secundi fragmentis mecum facere videtur Roth, qui eadem frgg. initio libri posuisse videtur, praeter frg. 65, quod conjunxit cum frg. 35. Quamquam eadem fere sunt verba,

tamen ita res est comparata, ut ejusdem rei scribendae saepius oblata videatur opportunitas; non igitur est, cur auctoritatem Donati, qui ex secundo libro locum citat, in dubitationem vocemus. Sed de quatuor fragmentis aliter judicavit Wagener. Ad explicandum frg. 63 adhibet Dionys. Exc. ed Maj. XIII, 14 et 15. Qua in re nemo certe esset, quin exciperet assensu, nisi optimi codices non de muliere, sed de puero quodam ea dicta esse ostenderent. Qui vero Lucretiam eo loco significatam esse putarunt, illi quidem sententiam omnino non perspexerunt. Referendum est frg. ad paedicatorem nescio quem, nam etiam antiquissimae Italiae gentes ei amoris generi indulgebant. (Athen. XII, 14, 517.) Multo minus probandum videtur, quod frgg. 64 et 69 quinto libro adscripsit neglecta codicum auctoritate. Cujus rei quum in priore nulla sit causa, in altero id fecit, quod alii suspicari quam pro certo affirmare maluerunt, quasi sal Karthaginiensis, cujus virtutem praedicat Plin. XXXI, 39, commemorari et cum aliis Italiae salinis comparari non possit. Fragmento denique 66 quod Catonem a primo libro ad secundum transiisse putat Bolhuisium secutus, qui etiam frg. 62 cum 66 conjungendum censet, quamquam nescimus, quis quid sublimaverit, vides, quam imbecillis argumentis usus sit. — De incertis libri tertii reliquiis recte reprehendit Wagener eos, qui frg. 75 ultimum ex eo libro fuisse contenderunt. Poterat enim Cato Samnitium aliarumve gentium perscriptis populis, certe etiam alias civitates in eodem libro sexcentas plenissime describere. Multo minus audiendi sunt ii, qui hoc frg. usi sunt, ut demonstrarent novi esse operis, quae ex reliquis Originum libris laudarentur. — Quod Nepos ex his libris totum opus Origines appellatum esse putat, ea res postea erit dijudicanda.

7. In quarto autem bellum Poenicum primum, in quinto secundum, — atque haec omnia capitulatim sunt dicta — reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. Priusquam de singulis rebus disseramus, de universo loco pauca praemittenda videntur. Sublatis punctis, quae reliqui post verba quinto secundum et capitulatim sunt dicta posuerant, commata posui. Retento enim vulgato interpungendi genere, adjecto aut audito in primis verbis vocabulo *est*, ter in his verbis mutatum est subjectum, mea ratione recepta numquam. Nam verba *atque haec omnia capitulatim sunt dicta* parenthesis loco habenda sunt, qua in re de usu particulae atque a Ferdinando Hand ad Tursellinum aliisque satis illustrato non est, quod ex meis addam. Praeterea mea interpungendi ratione recepta multo facilius adjunguntur verba *reliquaque* et quae sequuntur. Quodsi factum erit, id jam dubium non est, quod vulgata interpunctio in medio relinquit, quin etiam Punicorum bellorum duces non nominaverit Cato. Recte id se habere, facile intelligitur ex frg. 87, quo loco Plinius *detraxisse annalibus* dicit Catonem *imperatorum nomina*. At accurate de ea re scripsisse Plinium negat Nipperdey. Dicit enim satis fuisse in iis bellis, quae post bellum Punicum secundum

essent gesta, singulis annalibus anni cujusque et consulibus et praetoribus praescriptis indicari, nominibus magistratuum omissis quid per consules praetoresque gestum esset; quod in tanto imperatorum numero, quantus per bella Punica fuisset, sufficere non potuisset. Atque de reliquorum bellorum ducibus quam recte judicaverit Nipperdey, nolumus h. l. explorare, sed notandum est, vulgatam de rebus in Originibus perscriptis opinionem defendi non posse, nisi derogata h. l. fide Plinio, quem sane quidem multum fuisse in legendis Originibus multa fragmenta docent. Notandum autem est etiam id, quod vir de historicis Latinis non mediocriter meritus et recte id quidem concedit, justam historiam bellorum Punicorum scribi non posse, nisi additis imperatorum nominibus. Caedicium quidem nominasse videtur (frg. 84), quamquam etiam de hac re potest dubitari, sed is in ducum Punicorum bellorum numero haberi non potest. Qui factum sit, ut ducum nomina addere nollet, id explorare plerique noluerunt, nisi quod unus et alter miram quandam obstinationem atque contumaciam Scipionum odio sive alia re conflatam ejus rei causam esse putarunt. Solus Wilms l. l. p. 10, mirum esse negat *quum secundum Plutarchum Cato hanc imperii Romani historiam eo tantum consilio conscripserit, unde filius patriae et majorum rem moresque perdiscat.* Certum quidem judicium de sententia viri doctissimi fieri non potest, quod quum pollicitus esset, se *plura de Originum libris allaturum* promisso nondum stetit, sed nec de tempore, quo si non omnes at certe extremi sex libri (cf. supr. III, 3) scripti videantur, nec de puerorum institutione temere judicasse putandus est. Mihi quidem nec Origines eo consilio scriptae nec in enarrandis rebus gestis nomina ducum pueris videntur esse reticenda. Teneamus tantisper vulgatam sententiam de consilio, quod in scribendis Originibus habuisse videatur Cato, defendi non posse salva Plinii fide; etiam plures res obstare atque refragari videbimus, si in singulos hos libros inquisiverimus. Sed jam vereor, ne ipse comprobaturus in his libris justam bellorum Punicorum memoriam non infuisse in eandem vituperationem incidam, quam eos meruisse dixi, qui temere veterum scriptorum auctoritatem contempserint. Dicitur enim Nepos tradidisse, in quarto Originum libro Catonem persecutum esse bellum Punicum primum, in quinto secundum. Videamus, non quid dixisse dicatur, sed quid revera dixerit Nepos. Addit *atque haec omnia capitulatim sunt dicta.* Vis verbi capitulatim, quamvis sit rarissimum, dubia videri non potest; nam verbum capitali pro capite libri ferreae demum latinitatis est. Significat igitur h. l. idem, atque altero, quo legitur, loco Plin. II, 12, 55, quo dicit *breviter atque capitulatim attingam,* apud Graecos scriptores saepissime κεφαλαιωδῶς. Quaeritur, quis quid capitulatim dixerit. Catonem noli putare; repugnare videntur ipsa Nepotis verba, qui certe scripsisset: A t- q u e h a e c o m n i a c a p i t u l a t i m s c r i p s i t s i v e d i x i t; repugnant certe quum multa alia fragmenta, tum ex ipsis bellis Punicis imprimis frg. 84. Itaque Nepos dixit hoc: haec omnia, (quae de summario quinque librorum priorum modo proposuerat), capitulatim dixi. Et recte ille quidem; nam in primo libro insunt multa, quae non sunt ex regum

Romanorum rebus gestis, in secundo et tertio multa, quae non spectant ad Origines civitatum Italicarum, sed ad vitam ac disciplinam, ad jus, quin etiam ad caprarum velocitatem relqq., sed haec in summario notanda non videbantur. Quum vero scripsisset, in quarto libro bellum Punicum inesse primum, in quinto secundum, tum persentiscere coepit non haec esse summaria librorum, quod non justa illorum bellorum memoria inesset in his libris; et si quis ita summaria conficeret, ei excusandum esse brevitatis studium, ne *falsarius agnosceretur aut mendax videretur*. His praemissis jam ad ipsas horum librorum reliquias transeamus.

8. In quarto autem bellum Poenicum primum (persecutus est). Proficiscendum est hoc loco a fragmentis, quibus certam sedem assignare noluimus. frg. 92 auctoritatem codicum secuti ex libro secundo transtulimus in quartum, quamquam si rem spectamus sane obscuram, secundi potius, quam quarti fuisse videri possit. Nec frg. 91 quo referamus habemus, item Wagener; cur Roth illam potissimum sedem ei fragmento tribuerit, non apparet. Restant igitur frg. 87—90. Atque frg. 90, quo depugnatum esse dicitur pro castris i. e., ut Gellius explicat, ad castra tuenda, Wagener laudatis Frontino strateg. II, 1, 4 et Zonara VIII, 10 ad pugnam Agrigentinam refert; at saepius in eo bello pro castris est pugnatum (cf. Polyb. I, 30). Item frg. 87 vult esse ex ea pugna, qua Xanthippus vicit Regulum, in qua sane quidem magna erat virtus elephantorum (Polyb. I, 34), sed quod numquam fere eo bello manus conseruerunt Poeni cum Romanis, nisi adhibitis elephantis, non est, cur hanc pugnam necessario significatam esse putemus; idem de frg. 89 judicandum erit. Reliquum igitur est ex eo numero frg. 88, quo *dictator jussisse, dicitur magistrum equitum arcessi ut eum mitteret cum equitibus. Sed sero est, inquit magister equitum, jam rescivere.* Habent sua fata etiam fragmenta. Recte ab omnibus ex summo codicum consensu adscriptum est fragmentum libro quarto. Sed jam Popma (Riccobonus nihil tale commisit) composuit hunc locum cum frg. 96, Lion locos fortiter conglobavit, Wagener non solum approbavit, sed etiam id quod consequens est ratum habuit. Sic enim fere concludit: Quod frg. 96 spectat ad ea, quae post pugnam Cannensem facta sunt et necessario conjungendum est cum frg. 88, quod ex quarto fuisse libro constat, sequitur, ut etiam frg. 96 ex quarto libro sit: ergo eo libro non modo primum bellum Punicum, verum etiam secundum bellum usque ad pugnam saltem Cannensem persecutus est Cato; fallitur igitur Nepos. Nos quidem sic concludimus: quod Nepos in quarto libro bellum primum, in quinto secundum persecutum esse dicit Catonem, frg. 96, quod est ex secundo bello, non potest conjungi cum frg. 88. Quod quam recte se habeat, ipsum frg. docere videtur. Nam quum per primum bellum Punicum Romanis exercitibus dictatores numquam praefuerint, Poenus certe erat dictator, qui magistrum equitum accessivit. Hannibal autem nec solus nec primus erat dictator Carthaginiensis; ad quam rem comprobandam necesse non est ad reconditam nos descendere doctrinam. Notissimum est, qua levitate usi Romani sua instituta ad alias gentes transtulerint, ut mirum videri non

possit, imperatoribus etiam aliarum gentium Romana nomina esse data. Quod quum per se verisimile sit, tum de Carthaginiensibus certis locis comprobatur; ut omittamus locum fortasse corruptum Liv. XXIII, 13, 8, cf. Justin. XIX, 1, 6, Frontin. strateg. II, 1, 4, quo loco plures simul bello Punico primo commemorantur dictatores. Hi, si quid equitibus erat gerendum, opera utebantur magistrorum equitum, qui ipsorum imperio erant subjecti, ut Mutines aliique ostendunt. Quid igitur est, quod solum Hannibalem a Catone dictatorem appellatum esse putemus? Mihi quidem ita res videtur comparata, ut mirum esset, si necessario hoc fragmentum ad ea, quae post pugnam Cannensem inter duces Punicos disputata sunt, esset referendum. Quis quid resciverat? Romani credo exercitus reliquiae, quae effusa fuga Canusium et Venusiam petebant, audiverant Maharbalem sive alium suadentem, ut equitatum Romam mitteret. Qui hoc resciverant, certe non ignorabant responsum Hannibalis; cujus virtus imperatoria vel maxime in ea re apparet, quod consilio magistri equitum usus non est. Atque quatuor quinqueve horis post bonum consilium atque salutare temere abjecisse eum putabimus? Quod si fecisset, ne tum quidem sero fuisset. Sed jam satis multa de hac re mihi verba fecisse videor; fragmentum hoc (88) ad primum bellum Punicum spectare ipse quoque contendo, certam sedem ei assignari posse nego. — Sed videamus, quid de certae sedis fragmentis statuendum sit. Atque quae initio posuimus quatuor, ea ad mores remque publicam Carthaginiensium esse referenda concesserunt omnes nec dubium cuiquam visum est, quin ea initio libri explicasse Catonem jure possit affirmari. Frgg. 83 et 84 conjungenda esse censui praeeunte Rothio, Wagener frg. 83 in prorsus incertis posuit. Virtus tribuni, qua exercitum servavit, satis nota est. *Idem fecit,* inquit Frontin. strat. IV, 5, 8, *sub Attilio Calatino Cos. is, cujus varie traditur nomen. Alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum scripserunt.* Gesta est res *circa Camerinensium saltum.* Flor. II, 2, 13. — Drepanorum porro mentionem (frg. 85.) factam esse in hoc libro quis negabit? — Frg. 86 Wagener ex initio belli secundi fuisse censet, sed poterat etiam esse ex fine belli primi. Utrum malimus, prout Wageneri aut Nepotis auctoritatem sequimur, judicabimus. Restat igitur frg. 82, *Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, relqq.* Id multis erat argumento, novum ab his verbis incepisse opus cum Originibus male conglutinatum. Recte reprehendit Wagener; nam etiam *in parte operis licet praefari,* sed sine justa causa quis unquam tale quid conatus est? Attamen omnes praeter Riccobonum, apud quem secundum locum obtinet, primo loco posuerunt hoc fragmentum, quasi novum quid in hoc libro tractaverit. Quae sit causa neque Wagener neque reliqui explorare studuerunt. Accuratius de ea re scripsit Blum l. l. p. 113 *Gerade dies* (quae sunt in frg. 82) *trifft hauptsächlich mit die Darstellung der von ihm (Cato) übergangenen Zeit.* (dicit annos a regibus expulsis usque ad bellum Punicum primum.) *Aber ebenso gut und noch mehr die Königszeit. Gleichwohl übergeht er die eine und beschreibt die andere.* Rectissime ille quidem,

sed quae sit causa, cur hanc sententiam quarto potissimum libro inseruerit Cato, ne Blum quidem explicavit. Mihi quidem sic res se habere videtur. Memoria belli Punici primi in libro quarto inesse non poterat, quod bellum illud detractis imperatorum nominibus scribi omnino non poterat. Inspice Flororum Eutropiorumque breviaria, quibus breviora breviaria cogitari non possunt, imperatorum nomina non desiderabis. An brevius Catonem de iis rebus scripsisse putabimus, quum unius Caedicii virtutem tot laudibus extollat? Quaeritur, qualis fuisse putandus sit liber, in quo ***detractis imperatorum nominibus*** capitulatim dicenti dicere liceat perscriptum esse bellum Punicum primum. Descriptis Italicarum civitatum originibus aut finis erat imponendus operi aut transeundum ad ea loca, quae Italiae proxime adjuncta sunt. Transiit Cato ab agro Rhegino ad Siciliam. Hanc insulam bellum Punicum primum Romanis aperuit. Erat tum insula post Pyrrhi discessum in ditione Carthaginiensium excepta civitate Mamertina paucisque in ora qua ad orientem solem vergit oppidis, quae Syracusanis parebant. Scribendum igitur erat de Poenis, qua in re multo majoribus difficultatibus circumveniebatur Cato, quam in Italicis civitatibus. Ipsos Poenorum libros, etiamsi cupiisset, consulere non poterat, nam Punicae linguae peritum eum fuisse nemo unquam suspicatus est. Nec ea sufficere poterant, quae legatus Carthagini aut consul in Hispania audiverat. Itaque reliquum nihil erat, nisi ut ad bellum illud, quod insulam Romanis aperuerat, descenderet. Sed quum ei in animo non esset ipsum bellum narrare, ea tantummodo commemoravit, quae ad rem, quam sibi proposuerat, apta esse viderentur. Qua in re nec imperatorum nomina adscriberet necesse erat et opus erat quasi excusatione, ne quis annales belli exspectaret. Hoc igitur fragmentum 82 sibi voluisse videtur. Facile perspicitur verrucam illam (frg. 84) esse ex iis, quae in agro Camarinensi admiranda videbantur; intelligitur etiam, quo jure is, qui capitulatim se dicere profitetur, in quarto libro Catonem persecutum esse bellum Punicum primum dicere potuerit. Pluribus verbis uti si voluisset, scribere debebat Nepos inesse descriptionem Siciliae ex memoria belli Punici primi maxima ex parte repetitam.

9. In quinto secundum bellum Poenicum persecutus est. Etiam hoc loco reliquias, quas incertae sedis esse diximus, expediam. Frgg. 106 et 108 etiam Wagener pro incertis habet; frg. 109 ***illi polliciti sese facturum omnia*** ad finem belli Punici secundi, frg. 107 ***exercitum suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit*** ad bellum Aetolicum, frg. 110 ***quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est*** ad orationem adversus M'. Acilium (Meyer. p. 24) refert. Ipsa fragmenta h. l. transscripsi, quo facilius perspiceres, quam incertis fragmentis certam sedem nonnunquam assignaverit Wagener. Mihi nihil certi inesse videtur, nisi quod frg. 110 ex oratione aliqua esse ipse quoque arbitror; quod si pro certo affirmare auderem, ei orationi adjungerem, quam huic libro insertam fuisse constat, i. e. orationi pro Rhodiensibus habitae. — Certae sedis sunt fragmenta duodecim, ex quibus duo ad Illyriam sunt referenda,

duo ad ipsum bellum Hannibalicum, reliqua ad orationem pro Rhodiensibus habitam. Atque in rebus Illyricis quidem bis factam esse videmus Naronis mentionem. Nam C. Marcius Figulus iterum consul anno quingentesimo nonagesimo octavo ***adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit***, et *μέχρι ἐπὶ Νάρωνα ποταμὸν ἧκεν ὑποφεύγων*. Hanc rem certe in quinto libro non narravit Cato. Erat ea regio sedes belli, quod primum gesserunt Romani contra Illyrios. Scribit enim Polybius II, 11, qui in his rebus solus est auctor, Cn. Fulvium Centumalum (Flor. II, 5) cos. occupasse Issam, deinde pergit *τῶν δὲ πολιορκούντων τὴν Ἴσσαν οἱ μὲν ἐν τῇ Φάρῳ διὰ τὸν Δημήτριον ἀβλαβεῖς ἔμειναν, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ἔφυγον εἰς τὸν Ἄρβωνα σκεδασθέντες*. Arbo qui sit nescimus, sed dubium videri non potest perspecto locorum situ, quin emendandus sit locus Polybianus. Nam quibus artibus olim locum explicare conati sunt, ut suspicarentur Arbo antiquum esse nomen Epidauri (Mannert. Geogr. VII, p. 350), id nec testimoniis veterum nec situ atque natura Epidauri probatur. Qui vero Arben insulam significatam esse putant, non intellexerunt procul abesse ab his locis eam insulam. (Plin. III, 21, 140.) Immo emendandus est locus; pro *TONAPBΩNA* lege *TONNAPBΩNA* et emenda mendum sane vulgatum (bis apud Ptolem. II, 17, 12, VIII, 7, 7 nunc demum correctum) pro *NAPΩN* scribentium *NAPBΩN*. Jam videamus reliqua. Naro inter Pyraeos et Liburnos e regione Corcyrae insulae in mare Adriaticum influit. Interjacet inter ostium fluminis et illam insulam Hyllis paeninsula, quae in septemtriones et occidentem solem spectans angustum, sed porrectum efficit sinum, in cujus ostio quasi propugnaculum est Pharus reliquaeque insulae. Sunt igitur eae insulae p r o a g r o I l l y r i o, i. e. ex interpretatione Gellii, quasi praesidia agri. Refugium praebuit flumen in extremo tantum ostio longis navibus navigabile tutum Illyriorum liburnis. Atque de Illyricis fragmentis nobis quidem dubitatio relicta non videtur. Qua re commotus Niebuhr scripserit l. l. ***der illyrische Krieg wird im sechsten Buch vorgekommen sein, nicht im fünften,*** non intellexi. — Frgg. 95 et 96 quo sint referenda, dubium non est; de frg. 96 supra (III, p. 36) jam scripsi; satis est h. l. unum adscripsisse testimonium e multis Valer. Max. IX, 5 ext. 3. — Frg. 95 iterum perlustranti mihi locum num recte huic libro adscripserim (Wagener et Roth ex ordine, quem falso, ut supra demonstravimus, instituerunt, quarto libro inseruerunt) jam dubium mihi videtur. Locus Vergilianus, quem interpretatur his verbis Servius, est ille quidem de Hannibalis in Italiam transitu et laudatur praeter Catonem etiam Livius. Ipsa ea verba, quod ego meminerim, non sunt apud Livium; proxime accedit id quod Livius in re plane alia dicit (XXXIX, 54) ***Alpes prope inexsuperabilem finem*** Italiae esse. Quodsi Livius illis verbis Catonianis in describendo itinere Hannibalico usus non est, etiam apud Catonem non necessario ad bellum Hannibalicum referenda sunt, sed secundi fuisse libri putanda sunt. Quamquam non multum interest, quo loco ponas. — Jam ventum est ad eas reliquias, quae maxime doctorum hominum studia excitaverint, ad orationem pro Rhodiensibus habitam. Habita est oratio anno quingen-

tesimo octogesimo septimo. (cf. Meyer frgg. orat. Rom. p. 49.) Nemo unquam suspicatus est in quinto Originum libro infuisse bella Macedonica usque ad triumphum L. Aemilii Pauli; itaque falli contenderunt viri docti et Livium et Gellium, qui ex quarto libro laudarint hanc orationem. Attamen apud utrumque scriptorem non est numeri signum, sed nomen numerale sine ulla codicum discrepantia; et si falsum libri numerum scripsisset Livius, grammaticus ille, cui plurima fragmenta debemus, certe in verba Livii non jurasset, sed errorem notasset. Nipperdey quidem saepius errasse dicit in hac re Gellium, cujus rei profert exempla frg. 88, quod ipse quoque cum frg. 96 conjungere non dubitat et frg. 113 male et contra omnium fere codicum auctoritatem, quod ipse concedit, tertio libro insertum. Vides ad quae argumenta descenderit vir doctus. Si verum scire volumus, negari non potest, in quinto libro fuisse orationem pro Rhodiensibus. Atque quod id fieri non poterat, si res Romanae essent narratae a Catone, sequitur vel unius hujus fragmenti ratione habita, ut res Romanas non narraverit Cato. Justam historiam belli Punici secundi in libro quinto infuisse nego tribus usus argumentis, quod sine ducum nominibus ne hoc quidem bellum describi potest, quod omitti non poterat bellum Hispaniense; hoc autem in quinto libro narratum non esse demonstrat frg. 112; stulte enim fecisset, si in septimo demum libro de Ibero per bellum secundum sexcenties necessario commemorando docere voluisset eos, qui legerent. Tertium est id ipsum argumentum, quod inerat in libro quinto oratio pro Rhodiensibus habita. Quaeritur, quomodo nihilominus capitulatim dici possit, inesse in eo libro bellum Punicum secundum. Multus erat Cato in beneficiis Rhodiensium commemorandis (frg. 99 et 104). *Σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν κεκοινωνηκὼς ὁ δῆμος Ῥωμαίοις τῶν ἐπιφανεστάτων καὶ καλλίστων ἔργων* (Polyb. XXX, 5); quam amicitiam quomodo comprobaverit aut comprobare potuerit, priusquam Romani arma ad orientem versus converterent, nisi adjuto mercatu Romanorum, conjicere non possumus; tum vero Philippum a societate Hannibalis avertere non destiterunt. (Liv. XXVII, 30, XXVIII, 7). Vides igitur quam belli partem persecutus sit Cato. Adde quod eodem bello Punico secundo pars Siciliae, in qua Hiero regnaverat, imperio Romano adjuncta est. Non igitur totum bellum narravit, sed quomodo per id bellum aliae civitates aut in ditionem Romanorum redactae sint aut futurae deditionis quasi initium factum sit. Non dico Rhodienses, sed Macedones. Qua in re quoniam Cato non res Romanas perscripsit, sed quid in singulis civitatibus admirandum et fieret et videretur, nec quibus ducibus res gestae essent opus ei erat narrare, nec potuit dubitare inserere orationem, quae res Romanas perscripturo sane alio loco erat addenda.

10. reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. Primo loco praetermittendum non videtur, quam caute addiderit Nepos illud *pari modo*, quamvis brevitatis h. l. perstudiosus. Significat, etiam reliqua bella pari modo atque bella Punica i. e. novo atque inusitato modo perscripta esse. Deinde ne id quidem negligendum censeo, ex Nepotis summario

bella tantummodo scripsisse Catonem. Omissae igitur sunt res urbanae nec inest in reliquiis, quod falsa Nepotem tradidisse coarguat, nisi forte frg. 34 ex eo numero esse putabimus. Jam videamus, quid de singulis rebus statuendum sit. Bello Punico secundo composito usque ad praeturam Servii Galbae, qui praeerat Hispaniae ulteriori M. Claudio Marcello L. Lucullo coss. anno sexcentesimo tertio (cf. Liv. epit. 48 et Appian. Iber. 49 sq.) Romani gesserunt bella contra Philippum Persenque Macedones, contra Gallos, Celtiberos Hispanosque, Lacedaemonios, Ligures, Antiochum Aetolosque, Lusitanos, Istros, Sardos, Corsos, Dardanos, Illyrios, Dalmatas, Alpinos. Tot sunt bella, quot duobus libris vix ac ne vix quidem comprehendi possunt; nec ea est vis vocis ***reliqua***. Quaeritur igitur quae bella pari modo atque Punica narrasse videatur Cato. Atque quod libri sexti unum est fragmentum, inquirendum est in septimum librum. Fragmenta sunt undecim, quorum duo (112 et 113) sunt de iis, quae in Hispania memorabilia videbantur, frgg. 114—116 de luxuriae instrumentis, quibus ad corporum cultus curationesque utebantur imprimis mulieres. Notissimum quidem est Catonis consulis studium in tuenda lege Oppia nec minus notum, quanta severitate in censura ad coercendam luxuriam usus sit. Sed ea h. l. commemorari non poterant; omittere autem non poterat Cato in iis, quae admiranda in Hispaniis fiebant, Hispanarum mulierum vestimenta, quae etiam Artemidori Ephesii mirationem in se converterunt, *τὰ περιτραχήλια σιδηρᾶ, προκόμια ἐψιλωμένα* reliqua, et verisimile est Catonem ea non modo commemorasse, verum etiam cum Romanorum luxuria comparasse. Narrat Strabo III, 4, p. 266 Tauchn. *τοὺς ἄνδρας διδόναι ταῖς γυναιξὶ προῖκα,* quem morem Roth spectasse putat Catonem frg. 135, quum dicit, ***Dotes filiabus suis non dant;*** sed frg. libro septimo inserere nolui, quod mos dotis dandae qualis fuerit apud antiquissimas Italiae gentes Poenosve mihi non constat. Potest etiam frg. 122 ***jurum legumque cultores*** ad Celtiberorum simplicitatem referri. Inerat etiam in hoc libro oratio Catoniana, quam dixit in Serv. Galbam, qui diripuit Lusitanos. Praeter duas has orationes pro Rhodiensibus et in Galbam alias Originibus non inseruit. Nam orationes Catonianas Cicero (Brut. 17, 65) invenerat amplius centum quinquaginta, ex quo numero ***nunc vestigia nonaginta orationum relicta sunt.*** (Meyer. p. 8.) In iis erant permultae, quae ad rem publicam spectabant, et si eas vano sui amore inductus Cato in Origines quales fuisse vulgo existimant inculcare voluisset, saepissime ejus rei facultas esset data. Sed duas illas tantummodo orationes in Originibus infuisse testantur veteres et ita testantur, ut nullus scriptor Romanus praeter Quintilianum II, 15, 8 (frg. 120) earum orationum mentionem fecerit, quin semel aut saepius addiderit, Originibus eas orationes esse inclusas. (cf. pro Rhod. locos ad frg. 97 laudatos, in Galbam Cic. de orat. II, 53, 227, Brut, 23, 89 (21, 81) Liv. epit. XLIX. Valer. Max. VIII, 1, 2. Gell. XIII, 25, 15.) Hoc fieri vix poterat, si etiam aliae orationes Catonianae in Originibus infuissent. Addidit igitur orationem in Galbam septimo libro, quod inerat multarum rerum narratio, quae in Hispania ***admirandae fierent.*** Et quoniam non ad certas atque definitas historicorum

leges Origines conscripsit, addidit, quibus artibus Galba *elapsus* esset. Non igitur est, cur idcirco parum accurate Nepotem finem Originum definisse putet Nipperdey, quod anno post praeturam, quem Nepos finem fuisse dicit Originum, accusatus est Galba. Omnes igitur septimi libri certae reliquiae quod ad Hispaniam spectant, etiam frg. 117, quod est de pugna, qua fugavit Cato consul Hispanos, huc referendum censui. Numerum caesorum quod non adscripsit, sane mirum debebat videri iis, qui res gestas Romanorum eum scripsisse existimant; mihi non magis mirum videtur, quam quod ducum nomina Originibus detraxit. Restat, ut de sexto libro conjiciamus quid continuisse videatur. Unicum frg. satis est incertum; nihilominus Wagener ad orationem adversus Carneadem habitam refert. Quod mihi judicandum videtur de orationibus in Origines inclusis id modo explicavi; praeterea credi non potest, sextum librum res a Romanis gestas ab anno ducentesimo usque ad annum centesimum quinquagesimum quintum continuisse, quo tempore gravissima bella gesta sunt. Quum igitur plane incertae sedis sit frg., aliter res expedienda erit. Ex mea computatione in libro quarto inerat Siciliae descriptio, in quinto Illyria et aliqua Macedoniae pars. Si totam Macedoniam in eo libro perscripsisset, certe Nepos scripsisset, non modo bellum Punicum secundum, sed etiam bella Macedonica in eo libro persecutum esse Catonem. Praeterea major erat rerum memorabilium in Macedonia multitudo, quam quae paucis verbis profligari posset atque absolvi. Jam apparebit, quid sentiam; primus Originum liber continuit Origines Romanorum, secundus et tertius urbes Italicas, quartus Siciliam, fortasse etiam Sardiniam et Corsicam, quintus et sextus Illyriam et Macedoniam, septimus Hispaniam. Proxime igitur accedo ad eam sententiam, quam protulit Niebuhr, quum dicit H. R. I, p. 9. *So muss man sich Catos Origines nur zufällig nach der Zeitordnung vorgetragen denken.* Scripsit Cato de situ, moribus, populis earum terrarum, quae tum in ditione Romanorum erant, scripsit quam nunc ethnographiam vocant imperii Romani. Comparat Niebuhr cum Originibus Appiani historiam Romanam, sed magnum est inter haec opera discrimen. Appianus ad illustrandas res Romanorum ἐς βίβλους ἕκαστα τῶν ἐθνῶν distribuit; quod quum non sit consentaneum, τὰ ἐς στρατηγοὺς διῃρημένα addere coactus est. Cato τὰ τῶν ἐθνῶν illustravit rebus a Romanis gestis, itaque et nomina ducum poterat omittere et multa addere, quae ei, qui res se populi Romani perscripturum esse profitetur, addere non licebat. Neutrum fecit aut facere poterat Appianus.

11. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. Quid expositum sit satis perspicuum est; quae quidem ex moribus gentium et ex natura locorum memoratu digna putabat. Attamen mihi quidem locus videtur difficilis. *In iisdem libris* nihil aliud significare potest, nisi eos libros, quibus nomina ducum detraxerat, i. e. librum quartum et qui sequuntur (in primo libro ducum nomina insunt. cf. frg. 32). In his autem ea, quae in Italia fierent aut visu essent digna, narrata non erant, ut demonstrant ipsae reliquiae, nec perspicitur, quomodo iterum

in Italiam delatus videri possit Cato. Suspecta igitur sunt verba *in Italia;* neque vero probabile id quod proposuit Klotz quum scriberet *in Gallia.* Mihi olim scribendum videbatur *in Lusitania,* sed non est, cur reliquarum gentium mores locorumque naturam omissam esse putemus.

12. Restat, ut de incertorum librorum reliquiis pauca addamus. De plerisque jam diximus, de frgg. 123 et 126 cf. III, 5, p. 30; frg. 128 cf. p. 20 annot.; frg. 135 cf. p. 41. Cur praefationi frg. 127, septimo aut sexto libro frgg. 125, 130, 134 inseruerit Roth, non intellexi. Idem quod Jani conjecturam probare dubitat, frg. 131 non debebat conjungere cum frg. 27. Atque frg. 124 *eodem convenae complures ex agro accessitavere. Eo res eorum auxit* de Romuli asylo dictum esse censet Wagener et qui eum sequitur Roth. Assentiri dubito, quod magnam multitudinem confluxisse Romani scriptores tradunt plerique. Praeterea duo sunt loci, ad quos propius accedere videtur fragmentum, de Digitiis Praenestinis Serv. Aen. VII, 678, et de Gabinis (Galato et Bio ? Solin. 2, 10) ib. 682. — Alterum frg. 129 ita corruptum est, ut mihi quidem nihil de eo statuendum videatur. Wagener comparato Apollodoro II, 5, 10 ad Herculis iter referendum censet et locorum, ut videtur, propinquitate commotus tertio libro, qui est de Italia inferiore, inseruit; Roth idem fortasse spectavit, quum primo libro fragmentum adscriberet. Sed de ipsis reliquiis hactenus.

IV.

1. Continet secundus et tertius liber unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. Id quidem dubium videri non potest, quin ipse Cato opus appellaverit Origines nec unquam a Romano scriptore aliter appellatum est, duobus exceptis locis, de quibus postea erit disserendum. Sed mira atque inexplicabilis visa est ea inscriptio ipsis veteribus. Atque Nepos quidem quod judicavit quam sit absurdum facile apparet; ne id quidem perspexit, primo libro rectissime idem nomen potuisse dari (cf. supr. III, 5. p. 31 sq.). Rejecta ea, quam nos proposuimus, summarii Corneliani interpretatione si in extremis libris quatuor persecutum putamus Catonem res Romanas, nihil restat, nisi ut subscribamus sententiae Festi sive Verrii Flacci v. Originum p. 198 *Originum libros quod inscripsit Cato non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando praegravant ea, quae sunt rerum gestarum populi Romani.* Qua ratione probata nihil aliud praedicatur, nisi Catonem aut alucinatum esse, quum eam inscriptionem operi praeponeret, aut si mutavit in medio opere consilium, gravatum esse mutare etiam inscriptionem quamvis rei jam non convenientem. Sed neutrum commisisse quum recte arbitrarentur virum omnium constantissimum, varias inscriptionis causas excogitarunt. Alii non modo origines verum etiam incrementa rerum Romanarum ea inscriptione comprehendi putarunt (Nitzsch Polyb. p. 141 probante Schweglero H. R. I, p. 81), alii (idem Nitzsch mutata sententia Gracch. p. 217 sq.,

non recusante Mercklino Aetia des Varro in Philol. III, p. 370) leges institutaque quibus sensim constituta esset respublica Romana (Gebäude der Verfassung) et usque ad summum dignitatis gradum provecta (in ihrer Reife und Ueberreife) inscriptionis fuisse causam censuerunt. Nobis quaerendum videtur, quid apud Romanos significet vox Originum sive Originis. Cicero quidem Rep. II, 1 quum scripsisset frg. c addidit: *Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetat oratio populi originem*, sed etiam pluralem numerum patitur et res (cf. supra p.31 sq.) et usus Romanorum. Quod nonnumquam singulariter laudantur Origines, veluti frg. 107 quinta, frg. 111 sexta Origo, idem accidit, quod in annalibus saepissime factum esse videmus. Sed transscribendus est locus Livianus consulto, ut videtur, plerumque neglectus, ex quo appareat, et unius quoque gentis primordia appellari posse pluraliter Origines, nec appellari posse Origines res gestas Populi Romani. Liv. praef. 4. *Res — ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut jam magnitudine laboret sua; et legentium plerisque haud dubito quin primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova.* Alii denique num *lingua Catonis Sermonem patrium ditaverit et nova rerum Nomina protulerit* h. l. dubitant et putant Graecum nomen *κτίσεις* aut *αἴτια* in latinum vertisse Catonem quum Origines inscriberet. Contra hos unum sufficit argumentum, quod Graeci converterunt Origines in *ἀρχαιολογίαν* sive *ἀρχαιολογουμένας ἱστορίας* (cf. frg. 28). *Ἀρχαιολογία* autem numquam significat memoriam rerum in scriptoris aetate, sed antiquitus gestarum. Mea sententia de Originibus recepta mirum nihil inest ne in inscriptione quidem, nisi quod mira visa est veteribus. Neque vero possumus illos eo nomine vituperare. Novum erat genus literarum Romanisque, qui suae tantummodo gentis res eo tempore perscribere solebant, plane inusitatum; cogitatione fingere non poterant res Romanas non sua ipsarum causa, sed ad illustrandas aliarum civitatum origines esse narratas. 2. Multo minus dubium poterat videri veteribus, cui literarum generi adscribendae viderentur Origines; adscripserunt et Graeci et Romani historiis; sic Nepos *historias scribere instituit*, Servius Aen. VI, 842 *historias scripsit, multa etiam bella confecit*, Plutarch l. l. 25, 1 *Συνετάττετο μὲν οὖν λόγους παντοδαποὺς καὶ ἱστορίας*. quibus locis non solum Origines, verum etiam alia scripta, veluti de re militari significata esse videntur. Expuncto loco Charisiano (frg. 67, p. 12 sq.) ipsas Origines historias appellavit nemo. 3. Missis inscriptionibus falso Originibus inditis (cf. frg. e, η, ϑ) duo restant loci, quibus annales vocantur Origines. Quodsi recte factum est, concidunt sane omnia, quae hucusque protulimus ad vulgatam de Originibus sententiam infringendam atque in furculas Caudinas reducta est res. Alter locus est Plinii VIII, 5, 11, alter in Livii perioch. XLIX, nisi apud Jahnium, cujus liber ad manus mihi non est, aliter est scriptum. Plinius (nam de eo, qui periochas Livianas conscripsit, certi fere nihil constat) in talibus rebus non satis accurate egit; attamen hoc non sufficit ad explicandum, qui factum sit, ut annales appellaret Plinius opus in singulos annos non divisum. Neque vero veram

causam difficile est invenire. Scriptores, quibus Cato adnumerabatur, et qui ante eum et qui postea historias scripserunt, annalium erant scriptores, quod induxit scriptorem in his rebus non ita diligentem, ut etiam Origines vocaret annales. Comprobatur res loco Ciceroniano de orat. II, 12, 51 sqq., cui adde, si placet, de legibus I, 2, 6. Qui priore loco usi sunt, ut demonstrarent etiam Catonem annales, non origines conscripsisse, non intellexerunt de genere dicendi illic disserere Ciceronem, non de ipsis rebus, in quibus Catonem annales maximos sequi noluisse ipsius testimonio constat.

V.

1. In quibus (Originibus) multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Atque diligentia et industria Catonis multifariam laudatur etiam in Originibus conscribendis. Vide Romanorum testimonia supra III, 1, p. 26, ex Graecis adde, quos laudavimus frg. 7 et 28. Etiam doctrinam quod adjecit Nepos mirum non videtur, nam *non facile reperiri potest neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei* (Catoni) *fuerit incognitum.* Id unum potest esse suspectum nec summario satis conveniens, quod bis posita voce *multa* anaphora usus est Nepos. Haec utrum causa fuerit, an alia, cur Nipperdey revocata lectione duorum codicum scripserit *nulla doctrina* id quidem nescio, sed quo modo interpretatur ea verba eam rationem mihi non comprobavit. Negat enim scripsisse in Originibus Catonem, quid sibi judicandum videretur de singulis rebus (keine gelehrten Reflexionen und Untersuchungen), quae interpretatio nec ipsis reliquiis (cf. frgg. 84 et c) defenditur, et vis, quam esse dicit verbo doctrinae, quamquam proxime accedit ad sententiam Doederlini (Synon. V, p. 268) haud scio an revera ei non fuerit. Exempla certa certe erant afferenda. 2. Quibus fontibus usus sit Cato ignoratur. Qui res Romanas scripsisse putant Catonem, multi illi quidem sunt in praedicanda felicitate ejus, quippe cui consulari homini et censorio summae dignitatis ad omnia non modo Romanorum, verum etiam reliquarum civitatum Italicarum tabularia patuerit aditus; pro certo ponunt Praenestinas (frg. 60), Aricinas (frg. 56), Amerinas (frg. 55) eum inspexisse tabulas, laudant locum Ciceronis (de senect. 11, 38), quo loco sic docentem inducit Cicero Catonem: *Septimus mihi liber Originum est in manibus, omnia antiquitatis monumenta colligo, caussarum illustrium quascunque defendi nunc quum maxime conficio orationes, jus augurium, pontificium, civile tracto, multum etiam Graecis literis utor.* Ne hoc quidem loco quaerendum videtur, quid Catoni facere licuerit, sed quid re vera fecisse putandus sit. Si in Cereris aede aliisque locis tabularum in pulverem se immersisset et ad historiam Romanam scribendam omnia antiquitatis monumenta collegisset, nihilne eum putabimus inde retulisse, quod memoratu dignum videretur posterioribus scriptoribus et discreparet a superioribus, nisi quod tribuum Servianarum numerum non addidit et definivit jugerum numerum, quae dedisse dicitur Latinus Aeneae? Sed fac et licuisse Catoni et voluisse eum adire tabulas antiquissimas, quis potuisse

eum de tot rebus consulere libros illos affirmaverit, quum Polybius unum monumentum legere vix posset? *τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν ὥςτε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν.* — At Praenestinos libros consuluit, ut docet frg. 60. — Immo non docet. Nam quae scholia Veron. narrasse ostendunt Catonem de Caeculo, ea non sunt ex libris Praenestinis, sed e fama petita. cf. Solin. 2, 9. Multum sane usus est Cato etiam extremo vitae anno omni literarum genere, sed nihil est in iis, quae Cicero eum inducit laudantem, cujus ei fuisse possit videri usus sive suae aetatis historiam, sive Celtiberica scribenti. 3. Mihi quidem primo loco scripsisse videtur in Originibus quae ipse viderat et percunctatione audiverat, deinde quae vulgo credebantur etiam de Graecis Latinorum oppidorum conditoribus, adhibitis Fabiis Cinciisque, si quos habuerant reliqua Italiae oppida, et graece et latine scribentibus. In iis, quae ipse viderat, testis sane integer gravisque, in iis, quae audiverat, ut olim Herodotus, non ita acer judex, qui non dubitaret referre etiam Politas Catillosque, Cercios ex saleque mero montes.

VI.

1. Quanta fuerit Catonis apud Romanos auctoritas etiam mortui, quum ex multis aliis rebus, tum etiam ex eo, quod multo post sententias Catonianas oracula non modo habebant, sed etiam vocabant (cf. frg. 2. 3. 4. 83. 123. 126. a. b. c. k. p. q.) facile intelligitur. *Agricola erat sollers,* itaque non modo liber, quem scripsit de re rustica, plurimi semper habebatur, verum etiam ex aliis scriptis loci, qui erant de agricultura, diligenter transscribebantur. (frgg. 13, 54, d.) De genere vero dicendi verum est judicium Ciceronis Brut. 87, 298: *Volvendi enim sunt libri cum aliorum tum imprimis Catonis. Intelliges nihil illius lineamentis nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse.* Hoc loco facile explicantur reliqua judicia Ciceronis, quae sane contraria primo obtutu possunt videri. Brut. 85, 294, de orat. II, 12, 52. de leg. 1, 2, 6 Brut. 17, 66. Itaque ex orationibus, etiam ex iis, quae Originibus erant insertae (frg. 105 et 120) et ex ipsis Originibus multa laudabantur, non propter res, sed propter verba, cujus generis ex certis Originum fragmentis sunt circiter octoginta. Mirum porro non est, quod in tanta scriptoris dignitate etiam interpretes Vergilii nullius libentius usi sunt auctoritate quam Catonis, praesertim quum *plenissime de urbibus Italicis* scripsisset; fragmenta suppeditant interpretes illi fere triginta. Quanta fuerit Originum dignitas facile perspicitur ex ea re, quod Plinius in Italicis urbibus describendis, nisi quae a Graecis scriptoribus illustrata erant magnae Graeciae oppida, etiam post Hygini operam imprimis Catonem secutus est auctorem. Fragmenta ejus generis sunt decem. 2. Quid vero, decus illud curiae forique atque imperator omnibus virtutibus ornatus si sagacitate, industria, doctrina, voluntatibus omnium fere omnium civitatum magistratuum mire adjutus, res Romanas non modo antiquiores, verum etiam suae aetatis perscripsit, quanto plausu,

quanta approbatione ab omnibus, qui unquam res Romanas scripserunt, exceptum opus, quot laudibus putabimus esse elatum? Atqui nemo fere Catone auctore usus est, nisi quod Dionysius quinquies de antiquissima Italiae historia rebusque regum Romanorum quasi honoris causa eum laudat. Honoris causa etiam Georg. Syncellus pedissequus Dionysii et Joannes Lydus. (frgg. 28 et 29.) Nam quod Lydus Varronem de urbe condita consensisse dicit cum Catone, maxime suspecta videtur societas, quippe discrepuisse inter se de anno urbis conditae Varronem et Catonem vel pueris notum est. Jam vide indiculum historicorum Romanorum, qui Originibus Catonianis usi sunt: Livius falso laudat Origines XXXIV, 5 (frg. 31), non addidisse tradit Catonem (utrum in Originibus, an in aliqua ex orationibus, recte incertum esse dicit Lachmann de font. Liv. II, p. 17) numerum caesorum in pugna se ipso duce commissa hostium; Vellej. II, 7 (frg. 70) de Capuae origine se non probare id quod tradiderat Cato, *pace diligentiae Catonis* profitetur; Solinus 2, 8 (frg. 57) testem laudat Catonem de Tiburis conditore. Adde ex perditis Coelium Antipatrum (frg. 96) secundum Macrob. Sat. I, 4, 26 et Cassium Heminam, apud quem iisdem fere verbis est frg. 58 teste Prisciano l. l. Septem igitur sunt loci, nam quae de Sallustio tradunt, spectant ad dicendi genus, non ad ipsas res. (Quintil. VIII, 3, 29, Sueton. Octav. 86, de illustr. gramm. 10 et 15.) Quae praeterea alii suspicati sunt, ipsi viderint quomodo comprobari possint; nostra nihil interest eas opiniones affirmare aut refellere. 3. Quod qui factum sit, ut in summa Catonis historici auctoritate septies apud historicos Romanos fiat Originum mentio, qui factum sit, ut Dionysius *τὸν ἐπιμελῆ γενόμενον εἰ καί τινα ἄλλον εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας* in iis, quae post reges exactos narrat, plane neglexerit, nemo explicare conatus est, nisi quod Livium *cum ad res scribendas aggrederetur non ita novisse Catonem* censet Lachmann l. l. I, p. 43. probante Weissenbornio Einl. p. 23. Poterat in suam rem laudare Ciceronem Brut. 17, 66: *Origines ejus quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt;* sed adde quae sequuntur, *sicuti multis jam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi.* Amatores igitur illi deerant ex vulgo, non ex historiarum scriptoribus. (cf. Bernhardy H. L. R. p. 196.) Sed potest ipsis Livii verbis probari, non modo doctos homines, sed etiam omnes, in quorum usum res Romanas scripsit Livius, in manibus habuisse Origines, quum orationes Catonianas ne Cicero quidem sibi comparare posset omnes. Dicit enim Livius XLV, 25 de oratione pro Rhodiensibus: *Non inseram simulacrum viri copiosi quae dixerit referendo; ipsius oratio scripta exstat Originum quinto libro inclusa.* Certe non poterat jubere Livius eos, quibus historias suas scripsit, revolvere Origines, si abjectae tum fuissent atque obsoletae et ita neglectae ut perscripturum res Romanas ipsum fugere possent. Itaque dum aliae proferantur causae, cur Origines neglexisse videri possint historici, etiam hoc argumento adducar, ut memoriam rerum Romanarum fuisse eas negem.

4. Potest etiam aliud argumentum afferri, quo demonstretur, non omnino amatores

defuisse Originibus antequam tanta admiratio Catonis incesserit hominibus, ut dicendi genus, quo usus erat Cato, ipsi Ciceroni praeferre non dubitarent (Spartian. Hadr. 16. M. Aurelius ad Frontonem II, 11, cum quo loco cf. frg. 97.) Nam multa vocabula Catoniana quum essent obscurata atque obsoleta, non deerant, qui operam curamque in his ponerent explicandis, ne aditus ad Catonem sensim praecluderetur civibus. Id egisse videtur Sallustius (Sueton. Aug. 86) et Verrius Flaccus, qui de obscuris scripsit Catonis (Gell. XVII, 6, 2 sq.), in eo numero erat etiam Statilius Maximus, de quo plura conscribere in animo erat. Sed quoniam finis est faciendus scribendi, sufficiat laudare ea, quae Theodorus Bergk ad anecdoton Parisinum (Ztschft. für d. Alterthumswissenschaft III (1845), p. 116 sq.) de eo disputavit. Ex iis, quae idem disseruit de Lampadione ib. p. 121 facile apparebit, non recte fecisse Lerschium (cf. supra III, 4, p. 29), quod Lampadionem Origines in septem divisisse libros pro certo posuerit.

Brandenburgi a. H. Typis Adolph Müller.